

SEPTURIA II, & III, QVÆSTIO.
NUM de S. S.

EVCHARISTIA,
Synodo Pastoralis Præfula-
tus Naumburgensis ad 16. diem Maij anni
currentis 1620. *σὺν χειρῶν* Cize habende ad frater-
nam *συζητησιν* propositarum

Ab

ERHARTO LAUTERBACH,
Jaur. Siles. S. S. Theol. D. & prædicti
Episcopatus Superintendente

Ad ἀντιπίπτουσα Calvinianorum Respondebit

M. RUDOLPHUS SAXO, Ecclesie
Cizensis ad D. Michaelis Diac.

Ad Pontificiorum

M. TOBIAS SCHUBARTUS
Eccles. in Cöselitz Pastor.



L I P S I Æ,

TYPIS LAMBERGIANIS,

Excudit ANDREAS Mamisch.

Coll. diss. A
190, 43


34. A. 190 (43)

#

#

de C. R. Naumburg

Sächs.
Landes-
Bibl.



Inclito & Generosissimo Domino,
Dn. CHRISTIANO

SCHENCK,

Libero Baroni in Tautenburg & Frauen-
brieffnitz/ &c. Domino suo Gratiolo,

ERHARTUS LAUTERBACH D.


S. P. D. cum observantia.



Nclite & Generosissime Baro,
Domine Gratiolose, notum est Inclite
Generositati Tue, quàm pernicioſa
certamina Cinglio Calviniste multis
retrò annis in Ecclesia moverint de
primario Fidei Articulo, qui est de
S. S. Eucharistia. Millies solidè refutati monstratis
errorum cisternis, millies reclamant, fascinati ni-
mirum suis quibusdam principiis rationi consenta-
neis, quæ verbis Christi audacter opponunt *πρὸς*
πένητα λακίζοντες. Serpit contagium istud etiamnum
longè lateq; per Germaniam, & fimbrias dilatat ma-
lignantium Ecclesia. Quod utiq; pudendum do-
lendumq; est. Sed quis postremum Satanæ furorem,
DEO permittente, penitus potest reprimere? Non
datur spes ulla, *ἀνιάτους καὶ ἀυτοκατακρίτους* Calvi-
nistas ab errore in viam veritatis reduci posse: Inte-
rim nec in ipsorum concedemus commenta, nec

A 2

Sophi-



Sophisticam probabimus, sed pro Veritate unusquisque juxta Vocationis suę rationem pugnabimus strenuè, tum ut nostrates in agnita Verbi luce roborentur, tum ut ex adversantium cętu, qui sanabiles adhuc sunt, lucrifiant.

Id meo loco hæctenus conatus sum, quoties data fuit occasio; in primis in Conventibus Synodali- bus; ubi superiore anno Quęstiones septem de Sacra Domini Cœna fuerunt propositę, sequuntur nunc ad futuram Synodum bis septem, eo fine, ut doctrina sit plenior, & nulli Pastorum Inspectionem meam in hoc Inclito Pręsularu agnoscentium desit materia legendi, repetendi, meditandi. Necessitas n. & periculum Ecclesię exigit, ut quisq; suo loco gladio Spiritus se muniat contra lupos in Ovile Christi passim grassantes: à quorum rabie nostras Ecclesias, Scholas, & halcyonia porrò custodiat Israëlis Custos, qui pro grege suo perpetuas agit excubias.


TIBI verò Inclite & generosissime Baro hanc disputationem utriq; adversariorum cohorti oppositam jure nuncupo, quem cum Illustri & generosissima Matre OrthoLutheranę Ecclesię addictissimum, & sincerorum Theologorum amantissimum novi. Quod ipsum pietate & solentiã in Lutherana SALA- N A demonstrando liberali cognitione & sapientiã animum tuum locupletasti. Quamvis autem meo hortatu non egeas, facit tamen amor in TE meus, & observantia, ut sincero Te prosequar voto, DEUM- que devotè orem, ut suo Sancto Spiritu Mentem &

Volun

Voluntatem tuam dirigat secundum normam statutorum suorum, & vere pietatis, & liberalis cognitionis, & heroicarum virtutum incrementa largiantur evidentia, & generosam spem, quam Illustris Domina Mater Φιλοσόφωσ de Te concepit, affatim Te adimplere sinat, in Divini Nominis sui gloriam, in decus, solatium & splendorem Illustris Domus Tuę, in primis Inclite Domine Matris, Domine Comitisse, in salutem, prosperitatem & famam Illustrem Generositatis Tuę, in subditorum deniq; emolumentum, Amen. Benè & feliciter Vale in CHRISTO, CHRISTIANE Baro Inclite, & hanc compellationem meam benignè admitte. Cize, 20. Martij, Anno Christi M. DC. XX.



A 3 IN



IN NOMINE JESU.



ostquam in superiori Synodo egimus de generalibus quibusdam Questionibus in arduo de S. S. Eucharistia fidei Articulo; σπέχεια Materia requirit, & σπάφεια, ut ad sequentes progrediamur quæstiones, quarum numero sunt quatuordecim.

- I. De vera & reali Corporis & Sangvinis Domini in S. Cœna presentia.
- II. De κοινωία Paulina.
- III. De Sacramentali Unione, & Orali Manducatione.
- IV. De manducatione indignorum.
- V. De Sexto Capite Johannis.
- VI. De Metonymia Calvinistica.
- VII. De ἐναντιοφασία quorundam Articulorum fidei, cum S. Domini Cœna.
- VIII. De Patrum Sententijs.
- IX. De fractione Panis Calvinistica.
- X. De frequentando Usu S. Cœnae.
- XI. De personis ad Usus S. Cœnae non admit-tendis.
- XII. De Sacrificio Missæ Pontificiæ.
- XIII. De Transubstantiatione.
- XIV. De κυλικοκλειψία, sive, de Una specie.

Quæ-

QVÆSTIO I.

De vera & reali præsentia corporis &
fangvinis Dominici in
S. Cœna.

THESIS I.



*N*ter Augustini Epistolas est nu-
mero vigesima quarta: (est ea D. Hiero-
nymi ad Augustinum) in qua leguntur &
hæc verba: Heresis Cælestina (Pelagiana)
vobis adiutoribus jugulata est: quæ ita in-
fecit corda multorum, ut cum superatos
damnatosq; esse se sentiant, tamen venena mentium non
omittant, & quod solum possunt, nos oderint.

II.

Idem de Cinglio Calviniana heresi hoc tempore
non injuriâ pronunciamus. Jugulata ea est, à D. Luthe-
ro, Lutheranisq; Theologis. Sed ita infecit corda pluri-
morum, ut, cum Veritate & Potentiâ Verborum Christi
superatos esse se sentiunt, non tamen cedunt: quin potius
venenata odia retinentes, quos gladio nequeunt, voto in-
terficiunt. Sed majoris glorie signum est ab hæreticis
damnari, ut idem Hieronymus ibidem loquitur.

III.

Probè vident isti verborum σαφίνεια καὶ δύνα-

In præfat.

μιν; & tamen αὐτὰς γλώσσας sui cerebri substituunt. Animadvertunt verba CHRISTI ipsissimam importare presentiam Corporis Dominici, negant tamen contra conscientiam. Rationem enim, & ab occæcatis Magistris suis seducti, & multitudine errantium moti, Verbo Veritatis turpiter anteponunt, quæ certa ad damnationem via est. Ita enim Orthodoxus consensus palàm fatetur: non possumus de Christi corpore, quod verum & naturale corpus esse, ipse testatur, aliter loqui, *QUAM CORPORIS NATURA JUBET.*

IV.

Nos verò Christo τῆ ἀληθείᾳ, ejusq; verbo plano, certo & immoto firmiter innitentes, presentiam corporis & sanguinis ejus in usu Eucharistico indubitanter credimus, moti, & Autoritate, atq; Majestate Testatoris, & Certitudine Verbi Testamentalis, & nostrâ, quam BONO debemus DOMINO, obedientiâ.

V.

Presentiam credimus talem, qualem CHRISTUS ipse verbis perspicuis & evidentibus ordinat; non physicam, localem, sensibus obviam, sed Mysticam, illocalem, & tam rationi quàm sensibus ἀκατάληπτον. Interim realis & substantialis presentia est ejus corporis, quod in ara crucis pro nobis est in mortem traditum, ejusdemq; sanguinis, qui pro nobis effusus est in remissionem peccatorum.

VI.

Fides ista nostra & Confessio immotis fundamentis superstructa est, cui inferorum porta non prevalebunt.

Primò

VII.

Primò enim Verba Institutionis exhibent articulum τὸ, ἔ τῷ δεικτικόν, nimirum in rem presentem, ἔ æquivalent Hebrao, Hinne, ἔ latino Ecce: τῷ τῷ ἵτι τὸ σῶμα μου, τῷ τῷ ἵτι τὸ αἷμα μου, Hoc est illud corpus meum, Hic est ille sanguis meus, τὸ τῆς καινῆς Διαθήκης, ille ipse sanguis, qui est novi Testamenti; repetitur tertio, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον, qui sanguis pro vobis effunditur.

VIII.

Non sine causa Salvator ita urget Articulum. In rem presentem enim vult Apostolos deducere, qui ἔ Domini ἔ Magistri sui Verbis fidem habentes sine ulla dubitatione in iisdem acquieverunt.

IX.

Huc facit Paulina Interpretatio, qui Hebraeum Hinne, Ecce, vertit per τῷ, cum articulo τῷ. Ubi enim Moses Exodi 24. ad Israëliticam Ecclesiam dicit, Ecce, sanguis Testamenti. Paulus ita interpretatur Hebr. c. 9. v. 20. τῷ τὸ αἷμα τῆς Διαθήκης, Hic est ille Sanguis Testamenti.

X.

Cum itaq; Testator CHRISTUS iisdem Verbis de sacro Calice utatur, τὸ τῷ ἵτι τὸ αἷμα μου τὸ καινῆς Διαθήκης, Hic est ille Sanguis meus, qui est novi Testamenti; utiq; non minus docet ἔ ordinat sui sanguinis presentiam in S. Cœna, ac Moses pecuinum sanguinem fœderis presentem demonstravit ἔ exhibuit.

XI.

Rem συλλογιστικῶς ita judico.

Quo verbis Christi deducebantur Apostoli, ibi acceperunt panem ἔ corpus, vinum ἔ sanguinem Dominicum.

B

Sed

Sed non nisi in rem presentem Verbis Christi panem manu tenentis, & τούτο ἵτι τὸ σῶμα μὲν enunciantis, deducebantur Apostoli.

Quare corpus Christi cum pane, sanguis ejus cum vino benedicto in S. Cœna presentia fuerunt Apostolis, & adhuc sunt omnibus S. Cœna legitimè utentibus. Eandem enim habemus cœnam & nos, quam habuerunt illi.

XII.


Secundum εἰρημῶς præbent Verba CHRISTI ἡ προσκλήσις: Accipite, comedite, Hoc est corpus meum. Inde ἔτι τὸ σὺνδοκίζουσι.

Quod Christus verbis disertis suum corpus, & suum sanguinem nuncupat & definit, idē accipere & manducare jubet, id ipsum verè παρ' ἐγὼ τὸσ εἶ corpus & sanguis Christi.

Sed panem, quem manu porrigebat, suum corpus, & vinum in poculo suum sanguinem nuncupat & definit, mandans, ut Apostoli manducent & bibant.

Ergo corpus Christi cum pane, & sanguis ejus cum vino verè præsens est: non verò adest pani & vino, vel propter panem & vinum, sed propter communicantes: quibus præcipitur verbis Accipite, Manducate, Bibite, ut mediante pane præsens in terra corpus, & mediante poculo præsentem in terra sanguinem accipiant. Et per consequens: Quemadmodum Apostoli extra hunc mundum ad perceptionem corporis & sanguinis Christi per fidem, & ἐγὼ τὸσ ἀλλήν obligati non sunt: ita & nos Verbo Christi

ad



ad Actionem S. Cœna in terra, non etiam in cœlum ablegamur.

XIII.

Hinc Augustana Confessio decimum extruxit Articulum, quo statuit, corpus & sanguinem Christi in S. Domini Cœna verè & substantialiter adesse, & cum his rebus, quæ videntur, nimirum, pane & vino revera exhiberi omnibus sacramento utentibus. Hinc Visitationis Saxonica thesis tertia asserit, rem terrenam & cœlestem in S. Cœna hic in terris adesse & distribui, non supra in cœlis. Tres enim sunt, qui Testimonium dant in TERRA, (So sie BEISAMMEN sind) Spiritus, Aqua & Sanguis: id est, Ministerium Spiritus, S. Baptismus & Cœna Domini.

XIV.

Secundo fundamento succenturio tertium.

Qui in terris vivunt, media salutis inibi usurpant, Sed Ecclesia militans in terris est. Ergò media salutis in terris usurpat. In Regno Gratia enim salutis media dispensantur, ubi spe expectamus regnum gloria: Cœna autem Domini est salutis medium. Ergò. Et per consequens, fides (ut splendide nugantur Sacramentarj) non subvolat in cœlum, ubi non fides, sed tò videre dominatur, cum in terris presentissima habeamus omnia, quæ verbo expresso nuncupantur.

XV.

Quartum sumo ex verbis Christi determinativis. Ita enim seipsum explicat Testator: Hoc (panem praebens) est corpus, Typicum ne? neutiquam: Sed MEUM, quod è Maria Virgine assumpti, verè humanum: Vobis per omnia simile, peccato excepto: Quod pro vobis traditur, scilicet in mortem. Hoc corpus jubet manducare. Ergò praesens sit necesse est. Quis enim absens corpus verè manducavit unquam?

XVI.

Mi homo, Calvinista quisquis es, quæso cogita, an non impium sit statuere, nos fide nostrâ in cælum probè subvolare posse, atq; ibidem corpus Christi accipere; Christum contra tam infirmum esse, tamq; impotentem, ut non possit corpus suum nobis in terra praesens sistere ad manducationem Sacramentalem? Dic, utrum conscientiam tuam poterit tranquillare melius, Humananè robur fidei, & Christi imbecillitas? num verò Christi potentia potius & fidei simplicitas Verbo adhaerentis, & praesentiam realem & substantialem firmiter amplectentis? O Ursine, quid CHRISTO respondebis, qui verba sanctissimi Testamenti tuis nosum fundamentum? Quid tu Calvine, qui fidei nostrae obedientiam syllabarum aucupia, non sine impii levitate & superbia nuncupare non erubuit?

XVII.

Quintum à veteris & novi Testamenti discrimine sumitur. Vetus Testamentum typica habuit Sacramenta, Umbra futurorum bonorum: Novum vero ipsum corpus exhibet.

Gal. 4.
Hebr. 10.
Colloff. 2.

Sed

Sed Christus in Institutione expressè ait: Hic est meus sanguis novi Testamenti.

Ergò sanguis Christi vino Eucharistico non significatur absens, sed presens adest in Usu, ut novi Testamenti conditio & natura exigit.

XVIII.

Israëlitis presens nondum erat: quia nondum incarnatus erat Christus: prefigurabatur autem ipsis tot sacrificiis, in primis sanguine Agni paschalis, & Vacca Rufa. Nobis verò presens est: quia Umbra cessarunt, Typi impleti sunt, figura evanuerunt, & in CHRISTO Immanuele habemus ipsam εἰκόνα rerum.

In festo Expiationis.

XIX.

Sextum. Si negatur hoc, sequitur, longè potior rem fuisse conditionem V. Testamenti, quàm Novi: Presentem enim habuerunt sanguinem pecuinum, quo per παρυσμόν aspersi sunt & ipsi, & superliminaria ipsorum. Ad do: Agnum typicum multo illustriorem figuram & significationem corporis & sanguinis Christi dedisse, quàm panis & vinum in S. Cœna dare potest. Agnus enim habuit carnem & sanguinem, habet & Christus: Agnus est occisus; occisus est Christus: Sanguis agni effusus & aspersus est, sanguis Christi ομοίωσ: Agnus immolatus est, immolatus & Christus: Caro agni manducata, manducatur & caro Christi: caro agni ad ignem assata est, caro Christi ad ignem ire DEI, & fervorem ardentis dilectionis sue. Utiq; illustris est hæc analogia, quam panis & vinum in S. Cœna nunquam dabunt. Qui ergo panis erit figura, vel signum absentis corporis Christi? & vinum figura ab-

sentis sanguinis Christi? Tenebras luci, noctem diei præferunt aipnosophista: nos cum Apostolo noctem, id est, figuram præterisse, diem, hoc est, Christum incarnatum venisse credimus.

XX.

Septimum. Si sanguis Christi in S. Cæna non verè & realiter præsens est, sequitur, Christum alium sanguinem eterno Patri obtulisse, alium nobis. Sed hoc ἀθεόλογον. Ergò & illud, Ratio connexi est: quia Christus est Mediator novi Testamenti, sicut Moses Veteris. Stabat Moses inter DEUM & Israelitas fædus inter partes confirmaturus: manu tenebat craterem sanguine pecuino plenum: dimidium fæderalis sanguinis effundebat super Altare DOMINO, Eo peracto, prælegebat populo librum fæderis, & cum populus obedientiam Divina legi promitteret, alteram partem per παύσημόν aspergendo in populum effundebat. Quo ritu fædus inter Deum & electum populum confirmabatur.

Exod. 24.

XXI.

Typus hic erat illustris Mediatoris N. Testamenti, qui solus Christus est. Is interponens se inter Deum & genus humanum proprium effundit sanguinem: & eundem offert DEO Patri, offert & hominibus: Patri, ut λύτρον pro peccatis Mundi, ut mundo reconciliaret Patrem; Homini- bus verò, ut pignus λύσώσεως, ut inde certi sint, se precio sanguinis Dominici reconciliatum habere Deum.

Quando

XXII.

Quando itaq; dicit: *Hic est Meus sanguis Novi Testamenti*, ad Moſen respicit, & vult dicere: Moſes olim vetus Testamentum ſanguine foederali confirmavit, ſed ego Novū Testamentum meo ſanguine ſancio & confirmo. Effundo ſanguinem lubens, & effuſione eā iratum peccatoribus Deum vobis reconcilio: Eundem vobis in Uſu Cœnae mea praebeo, ut certò credatis, vos placatum per me habere Patrem, & propter ſanguinem meum pro vobis effuſum, conſequi Gratiam DEI, rem. peccatorum, veram juſticiam & ſalutem. Quae omnia ſubſtantialem corporis & ſanguinis Chriſti in Cœna praesentiam luculenter comprobant.

XXIII.

Octavum. Sacramentum dimidiatum non eſt verum & integrum Sacramentum.

S. Eucharistia ſine reali corporis & ſanguinis Chriſti praesentia vix, ac ne vix quidem eſt dimidiatum ſacramentum. Ad integritatem enim ſacramenti utrumq; requiritur ſignum & ſignatum, res terrena & caeleſtis. Ergo utrumq; requiritur praesens ὄντων ἑξῆς καὶ ἰστίαν. Tolle alterutrum, & locorum intervallo diſiunge, non erit Sacramentum.

XXIV.

Nonum. Corpus Chriſti praesens eſt in Cœna, vel καὶ ἰστίαν, vel καὶ δυνάμιν. Non tantum ſecundum virtutem & efficaciam: quia Chriſtus non dicit, Hoc eſt virtus mei corporis, ſed Hoc eſt corpus meum. Porro:

Virtus

Virtus corporis non est pro nobis tradita, sed αὐτότατον
σῶμα. Ergò corpus Christi presens est in Cæna καὶ τὴν
ἰστίαν.

XXV.

Decimum. Duo ἀντιφατικῶς ἀνῆκείμενα simul vera
esse non possunt.


Haec dua ἀποφάνσεις, Hoc est corpus CHRISTI, Et,
Hoc non est corpus Christi, sunt contradictoria. Ergò pa-
riter vera esse non possunt.

Quia verò κατὰ φασίς ipsius Christi est, qui ipsa veritas,
ἀπὸ φασίς verò humani ingenij, quod mendax, utiq;
illam τὴν ἀμφοῖν firmiter amplectimur & tenemus, pre-
sens esse corpus Christi in Cæna; banc (corpus Christi non
est in Cæna substantialiter; Tantum est in cælo post Ascen-
sionem, non in terra; tantum distat à pane Eucharistico,
quantum cælum à terra, vel, quod duplò distantius est,
quantum Oriens ab Occidente) suis fabricatoribus relin-
quentes, ut falsissimam.

XXVI.

Undecimum. Concludimus evidentissimâ D. Pauli
demonstratione, 1. Cor. 10. Ita demonstrat ille: Pane Eus-
charistico presente, presens est corpus Christi. Sed panis
Eucharisticus non est nobis absens in supremo cælo, sed pre-
sens in usu legitimo. Ergò & corpus Dominicum non ab-
sens est nobis in cælo conclusum, sed presens realiter in usu
Eucharistico. Ratio, inquit Paulus: quia panis, quem
frangimus, est κοινωνία corporis Christi. Qualis verò
communicatio foret, si corpus quoad substantiam non ad-
set? Quia ergo Paulus docet: non fidem nostram, sed panem

bene.



benedictum & fractum, hoc est, distributum esse κοινωvίαν
 τῷ Σώματι & χερσὶ, necesse est, Corpus Christi praesens esse
 secundum substantiam, et si modum praesentia nemo intel-
 ligit.

Sed ne primum caput nimium excrescat, considerabi-
 mus Paulinam κοινωvίαν in secundo capite.

QUAESTIO II.

De κοινωvία Paulina.

XXVII.

Verba Apostoli evidentissimè docent, Ve-
 rum corpus & sanguinem Christi praesentia esse in
 Cæna. Quare Beatus Lutherus in disputatione contra
 Cinglium & Oecolampadium, hunc textum dicit esse,
 seines Hertzen Frewd vnd Kron. Denn dieser Text
 spricht nicht allein / das ist Christus Leib / wie im Abend-
 mahl stehet / sondern nennet das Brod / das gebrochen
 wird / vnd spricht / das Brod ist Christus Leib / Ja das
 Brod / das wir brechen / ist nicht allein der Leib Christi /
 sondern der außgetheilte Leib Christi. Das ist einmal
 ein Text so hell vnd klar / als die Schwärmer vnd alle
 Welt nicht begehren noch foddern könten / noch hilfft er
 nicht.

In Majore
 Conf. Tom.
 3. pag. 505.

XXVIII.

Hinc ita ἀποδεικνύω: Cujus cum pane benedicto fiunt
 κοινωvοὶ omnes S. Cænà utentes, id verè & realiter præ-
 sens sit, necesse est.

C

Corpo

Corporis Christi cum pane benedicto sunt κοινωνοὶ
omnes utentes S. Cæna. Ergò Corpus Christi in S. Cæ-
na verè & realiter præsens est.

XXIX.

Paulus enim secutus Christum panem facit medium
κοινωνίας Corporis Christi, utiq; non absentis, sed substan-
tialiter præsentis, evidenter demonstrans, omnes S. Cæ-
nâ utentes Corporis Christi communiter fieri participes.
Qui enim vescitur pane fracto sive distributo, is etiam
unâ, eodem manducationis actu Corpore Christi vescitur,
& fit particeps communis Boni, quod inter omnes vescen-
tes distribuitur.

XXX.

κοινωνία, ut obiter annotem, Lutherus vertit, Ge-
meinschaft / alij theilnehmung / in welcher vns Christi
Leib mitgetheilet wird. Lutherus ita excusat. Gemein-
schaft ist (allhie) nicht so gar gut Deutsch / als ich gern
wolt haben. Es soll aber hie so viel heißen / als wenn viel
eines gemeinen Dinges brauchen / genießen / oder theil-
haftig sind. Solches mus ich Gemeinschaft dolmet-
schen. Ich habe kein besser Wort darzu finden können.
Concordant ista cum verbis Hilarij, Panis est communica-
tio Corporis, id est, panis est communicata sive distributa
caro Christi.

XXXI.

At, obijcias, non extat vox κοινωνίας in Verbis Insti-
tutionis? Ergò Paulus aliunde iudicat de Substantia S.
Cæna.

Rx. Neutiquam hoc sequitur. Quod enim Pau-

lus tra-

Pag. 502.

Lib. 8. de
Trinit.
pag. 102.

lus tradit, id in tertio cœlo didicit. Tuum est audire Paulum. Etsi autem vox κοινωνίας tot syllabis non legitur in verbis Institutionis: non est tamen contra sensum verborum. Et quod Paulo licet Apostolo, tibi non licet. Tu Verba Pauli ut ipsius Christi, à quo accepit, retine.

XXXII.

Nullum autem κοινωνία Paulina importat tropum, sed Christi Verba dilucidè explicat. Mutat enim subjectum, Hoc, in panem, quem frangimus, Mutato subjecto, necesse est etiam mutari nonnihil predicatum. Quare ubi Christus in tribus Evangelistis ponit Corpus & sanguinem suum, Paulus vocat κοινωνία τῆ σῶμα] & καὶ αἷμα] & χειρῶν, ut & veram presentiam & Sacramentalem Unionem & manducationem illustrem in modum declararet.

XXXIII.

Ne autem Corinthij, alijsvè existiment, Paulum novum sensum affricare Verbis Institutionis, statim jubet, ut ipsi sua judicent verba, eaq; examinent ad normam Verborum institutionis, quæ, ut prudentibus Christianis, ipsis ex praxi Ecclesiæ erant notissima. Quem in finem Formulam Institutionis sequenti capite recitat, eamq; ut καλὴν & ἀγαθὰ θύκην in Ecclesia Corinthiaca deponit, & Universali Ecclesiæ commendatissimam esse cupit, eâ imprimis intentione, ut doceat, Christianos per universum terrarum orbem idem Sacramentum habere, quo primum Apostoli usi sunt.

XXIV.

Ut autem evidenter ostendat presentiam substantialem corporis & sanguinis Christi, artificiosissimo utitur compendio per vocem κοινωνίας, communicationis corporis Christi, quae fit per panem ore acceptum & manducatum.

XXXV.

Sudes est hoc compendium Calvinianis in oculis; idcirco Paulinam κοινωνία λία φούκως in varios distortent sensus.

A.C. 1559.

Pag. 505.

Calvinus interpretatur per spiritualem adunionem, passim. Philippus Mel. in Epistola ad Fridricum Electorem Palatinum valde perniciose Ecclesiae, per consociationem cum corpore Christi, quae fiat in usu, & quidem non sine cogitatione. Bucerus removet distributionis vocem, & substituit societatem corporis & sanguinis Dominici. Hemmingius per conjunctionem spiritualem reddit, Curæus & Ursinus per societatem inter nos & corpus Christi, vel per associationem. Hinc Lutherus in Confessione Majore de Cinglio & Oecolampadio conqueritur, Etliche sagen/ Paulus rede von Zeitlicher oder Ewiglicher Gemeinschaft / Etliche aber von Geistlicher Gemeinschaft. Streichen damit davon / vnd beweisen nicht aus dem Text.

XXXVI.

Omnes autem isti, licet verbis nonnihil discrepent, eò collineant, nos usu S. Cœnae pervenire cum Christo in societatem spiritualem, idq̄ fieri per cogitationem sive per fidem: atq̄ sic in locum realis presentiae substituunt spiritualem consociationem cum CHRISTO, quam etiam

extra

extra usum S. Cœna possumus consequi; neq; ob eam Institutione Cœna opus fuisset. Quid amabo homines isti præter vacua Symbola in Cœna relinquunt.

XXVII.

Verum enim verò insignem Gentium Doctori faciunt injuriam, cui sensum alienum è suo cerebro affingunt, textui verò vim manifestam inferunt.

XXVIII.

Abstrahere vult D. Apostolus Corinthios à cultu Idolorum. Hoc ut obtineat, adducit doctrinam de S. Cœna Domini, de presentia corporis Christi, & orali manducatione. Vos Corinthij judicate ex Verbis Institutionis, & dicite: Nonne panis quem frangimus, est κοινωνία τοῦ σώματος τοῦ Χριστοῦ? Hoc fateri vos oportet, quod fiatis κοινωνοὶ corporis Christi. Panis enim distributus est κοινωνία corporis Christi. Ergò corpus Christi cum pane Vobis κοινωνεῖται: atq; sic estis participes corporis Christi realiter in Cœna. Ergò non debebatis communicare mensa demoniorum: non debebatis interesse Sacris Gentilium, neq; vesci idolothytis, hoc est, dapibus qua à Gentibus Idolis suis Sacrificij loco offeruntur & consecrantur. Ratio est. Si enim utrumq; cupitis in vos admittere, profanatis Cœnam Domini, eaq; hypocriticè abutimini, & abusus iste cedet vobis in reatum & iudicium. Quare si vultis idolorum esse sectatores, abstinete potius à S. Cœna Domini.

XXIX.

Quòd si κοινωνία hic Spiritualem communicationem corporis Christi significaret, Apostolus eà Corinthiis in-

terdixisset; quod non esset Apostolicum: docuisset, hominem spirituali manducatione abuti posse, quod non esset Theologicum.

XL.

Quare luce clarius est, Paulum hic docere corporalem participationem Corporis Christi cum pane, Eâ abuti poterant Corinthij, cum Idolis pariter servire vellent.

XLI.

Et vide quaeso diligenter, num Paulus vel verbulo in toto hoc contextu, fidei, vel spiritualis κοινωνίας mentionem faciat? non facit, sed simpliciter κοινωνίαν τῆς Σώματος Χριστοῦ ponit: adeoq; veram Corporis Christi presentiam in S. Cæna asserit. Et sic Paulus bonus, Lutheranus est, sicut Lutherus bonus Paulinus, hoc est, Pauli mentem genuinam in Majore Confessione contra fanaticorum glossas potentissimè confirmat.

XLI.

Papista enim si fuisset Paulus, dixisset; Panis est ipsum Corpus Christi, per transelementationem in corpus Christi conuersus. Calvinista si fuisset, dixisset, Panis distributus est spiritualis communio, vel est communicatio fructus Corporis Christi, vel est associatio cum Christo. Neutrum verò horum scripsit, sed simplicissimè loquitur de communicatione Corporis Christi.

XLII.

Ipse Melancthon haud aliter locum Pauli interpretatus est, Et in 1. Cor. 10. ubi Vinum dicit esse rem illam visibilem, quâ sanguis Domini exhibetur, Et, in Apologia Confessionis Augustanae. Hanc sententiam constan-

ter de-

A.C. 1530.

ter defendimus (inquit) re diligenter inquisitâ & agitata. Cum enim Paulus dicat , Panem esse participationem Corporis Domini, sequeretur, panem non esse participationem Corporis Domini, sed tantum spiritus Christi, si non adesset verè Corpus Domini. Et, citat Cyrilli sententiam in Johan. cap. 15. Christum corporaliter nobis exhiberi in Cœna: Non negamus rectâ nos fide charitateq; sincerâ Christo spiritualiter conjungi, sed nullam nobis conjunctionis rationem secundum carnem cum illo esse; id profectò pernegamus.

XLIII.

Concludimus, *καὶ ὡς* Paulinam nullo modo de salutari fructu vel participatione Cœne intelligendam esse, sed de substantiali Veri Corporis distributione & μετ' ἑαυτῶν.

Plura legant Juniores in Majore Confessione B. Lutheri: apud D. Hunnium in Refutat. Emdensium pag. 449. in D. Schilteri Catechetica Enarratione pag. 851. & seqq.

In Apol. Form. Conc. pag. 121. 122. 123. 156. 157.

QUÆSTIO III.

De Sacramentali Unione, & Orali Manducatione.

XLIIII.

Probatâ verâ & reali præsentia Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistia, com-

proban-

probanda etiam est, qua inde fluit, sacramentalis unio, & Oralis Manducatio.

XLV.

Quia enim Corpus & Sanguis Christi verè & substantialiter sunt presentia in Usu S. Cœnae, & iubentur cum pane & vino accipi, manducari & bibi, necesse est, corpus cum pane, sanguinem cum vino uniri & conjungi. Et quia Sacramentum est, sacramentalem unionem sive conjunctionem dicimus; quia Mysterium magnum est, Mysticam.

XLVI.

Negat Beza Mysterium esse. Quid non neget impius $\mu\upsilon\sigma\tau\eta\rho\iota\upsilon\mu\acute{\alpha}\chi\omicron$? Dico Mysterium magnum hic contineri, quod sub rationis humana modulum revocari haud potest.

XLVII.

Est autem unio sacramentalis nihil aliud, quàm ejusmodi partium sacramenti conjunctio, quam Christus ipse Verbis Institutionis ordinat, Accipite, Comedite, Hoc (panem præbet) est corpus meum.

XLVIII.

Hinc Minister Verbi panem benedictum porrigens communicanti, non nudum & solum panem, sed panem divinum, cui corpus Christi sacramentaliter unitum est, porrigit, panem $\pi\rho\acute{\omega}\tau\omega\varsigma$, κατ' αὐτὸ, καὶ κρυψίως: ipsum Corpus Christi $\epsilon\pi\omicron\rho\rho\acute{\upsilon}\omega\varsigma$ καὶ $\mu\upsilon\sigma\tau\iota\kappa\acute{\omega}\varsigma$ cum pane.

XLIX.

Panis per se suâ constat naturâ, & corpus Domini à pane longè diversissimum est: nihilominus Christi ordi-

natione

Parte 2. Respons. ad Hofmannum p. 184.

natione diversa ista partes ita coalescunt, ut unum quoddam Coena Domini Sacramentum arctissimo nexu, qui sacramentalis unio est, constituent.

L.

Propter huiusmodi Sacramentale vinculum ipsum Corpus Domini rectè dicitur manibus tractari, ore accipientibus teri, non πρῶτως, non καθ' αὐτὸ, non modo naturali, vel lanienâ Capernaiticâ, sed mysticè & secundariò propter ἐνωσιν μυστηριώδη.

LI.

Simile exemplum est descensus spiritus sancti in forma columbae, Matth. 3. Luc. 3. Descendere per se & primò, Spiritui sancto non competit. Est enim Essentia infinita orbem terrarum replens, nec ullo ascensu vel descensu egens; & tamen testatur Evangelista, Johannem vidisse se descendentem spiritum sanctum, cum non nisi columbam super Christum palam descendere cerneret: quia Mystica fuit ea unio Spiritus sancti cum columba. Ergò quicquid in illa patefactione columba proprium est, rectè tribuitur & verè Spiritui sancto in magno Mysterio, quod ratio non apprehendit: fides verbum retinet & urget, à quo ratio Calva temerè discedit.

LII.

Ex Sacramentali unione Oralis dependet Manducatio. Quia enim res terrena & coelestis Sacramentaliter unita sunt, eodem Organo, Ore sc. percipiuntur necesse est. Oralem vocamus manducationem, pariter & Sacramentalem.

1. Et haec prima causa est, cur nos oralem manduca-

D

tionem

Argumenta
pro orali
Manduca-
tione.

tionem urgeamus, mystica Corporis Christi cum pane distributo ενωσις.

LIII.

2. Verba Christi, accipite, manducate, bibite, &c. externa εγω denotant, tum manu, tum ore corporeo exercenda & perficienda.

Dedit autem discipulis panem benedictum, de eo enuncians, comedite, Hoc est Corpus meum. Ergo corporeo organo, ore scil. Apostoli acceperunt corpus & sanguinem Christi. Huc refer omnia argumenta, qua Septuria primâ pro retinendo τῷ πνεύματι adducta fuerunt.

LIV.

3. Christo non distinguente neq; nos distinguere debemus. Sed Christus hic non distinguit: Non dicit, ore corporis accipite panem, ore anima accipite corpus meum. Sed totum id, quod porrigit & definit, externo ore jubet accipere & comedere. Ergo & nos Christo merito obsequimur, & explosâ hic anima manducatione, solam oralem retinemus, fideli sive spiritali manducationi suum locum relinquentes.

LV.

4. Aut Apostoli ore corporis manducârunt Corpus Domini, aut verba Christi bifariam intellexerunt, nimirum, panem ore, Corpus Christi animâ fideli sumendum esse.

Sed nullus Apostolorum verba Domini aliter intellexit, quam, quod unico soloq; oris organo debeant accipere & comedere totum id, quod Sacramentali actio,

ne ipsis

ne ipsis porrigebat Dominus. Ergò manet prius, Apostolos ore corporis manducasse cum pane benedicto Corpus Christi.

LVI.

5. Indigni, ut infrà probabitur, aequè atq; fideles & digni Oraliter accipiunt Corpus Domini, aliàs non fierent rei Corporis Dominici. Quia enim fide carent, ore anime Corpus Domini non accipiunt. Ergò ore corporis manducant: alioqui Corpus Christi prorsus non manducarent.

LVII.

6. Si edere Corpus Christi idem est, quod credere, frustra precepit Dominus realiter distinctam manducationem corporis à bibitione sanguinis sui. Sed quis sine impietate hoc statuet? quis coelestem sapientiam coarctabit? Ratio copulati patet: quia spiritualiter edere carnem Christi, & sanguinem ejus bibere, sunt equipollentia, & unà voce, Credere, exprimuntur. Si itaq; Christus fidem intelligere voluisset, utiq; non mandasset distinctam panis cum corpore manducationem, & bibitionem vini cum Sanguine. Mandavit autem, & ipse distinctè porrexit discipulis, qui Ore utrumq; acceperunt. Ergò oralem manducationem & bibitionem meritò credimus.

LVIII.

7. Accedit Patrum consensus, qui oralem manducationem Ecclesiis suis fideliter inculcarunt.

Augustinus Serm. de Temp. 215. & Epistolà 118. ad Januarium: Placuit Spiritui sancto & nobis, ut in bono-

rem tanti Sacramenti IN OS Christiani prius Dominicum corpus intraret, quàm cateri cibi. Idem contra adversarium legis lib. 2. cap. 9. Carnem & sanguinem Christi fidei corde atq; ORE suscipimus.

Leo Serm. 6. Hoc ore sumitur, quod corde creditur. Oecumenius in 1. Cor. 11. Sacratiss. Corpus Christi, MANIBUS impuris accipiunt indigni, & execrando ORI suo admovent.

Chrysostomus. OS nostrum non vulgarem honorem consecutum est Corpus Domini accipiendo. Ambrosius ad Theodosium Imp. referente Theodoro lib. 5. histor. Eccles. c. 18. Istanè ne adhuc stillantes injusta cadis cruore MANUS extends, & ijs sanctissimi Domini Corpus prehendes? Vel tam preciosum illum sanguinem admovebis ORI Tuo, qui tantum effuderis sanguinis dictato furentis animi?

LIX.

Hec singula & conjuncta demonstrant, Vescentes in S. Cœna non tantum pane solo vesci, sed etiam cum pane vero Christi Corpore, Ore corporis: Pane, modo visibili & consueto, Corpore verò Christi modo invisibili, illocali, & mystico, ut dictum est.

LX.

Triplex enim in S. Cœna est Manducatio, Naturalis, Sacramentalis & Spiritualis. Naturalis quæ & qualis sit, novimus omnes ex sensu. Sacramentalis quomodo fiat, hominum intelligit nemo. Fit enim in tremendo Mystero; licet eodem organo, quo illa: Spiritualis verò est $\chi\tau\iota\sigma\tau\iota\mu\epsilon\tau\alpha\phi\omicron\rho\omicron\rho\alpha\iota\nu$ sic dicta, quæ fit solâ fide, quæ de Christus

agit,

agit, & in Testamento Verbis, Hoc facite in mei recordationem, & extra usum Sacramenti, Joban. 6. quoties suam carnem edere jubet, quod metaphoricum edere, per credere exponit ipse. Huc spectant verba, Psal. 34. Gustate & videte, quam suavis est Dominus?

LXI.

Multis modis differt spiritualis manducatio à Sacramentali: Differentia principales tenenda sunt.

1. *Objecto.* Sacramentalis manducatio occupata est in ipsa corporis & sanguinis Christi realiter presentis substantia: spiritualis verò in salutari fructu seu universo merito totius personae & officij Christi.

LXII.

2. *Subiecto & Tempore.* Sacramentaliter manducant ij tantum, qui ad S. Synaxin accedunt in novo Testamento: simpliciter verò omnes fideles, tam in Veteri, quam in Novo Testamento, etiam extra Actionem Eucharistiae, quemadmodum Patres in deserto spirituales escam manducasse perhibentur, 1. Cor. 10.

LXIII.

3. *Symbolis.* Sacramentalis enim manducatio requirit externa Symbola à Christo instituta, quibus mediantebus res caelestis manducatur, requirit & totam Actionem sacramentalem, quâ cessante, Sacramentum desinit. spiritualis nullis eget Symbolis: quia etiam extra usum S. Coenae fieri potest: Et in ipso usu non respicit à πλῶς substantiam Corporis Christi, sed presentiam ejus, & salutarem fructum, qui ad credentes ex Merito Corporis & sanguinis Christi redundat.

Discrimina
Manducationis
Sacramentalis
& Spirituales.

LXIII.

4. Organo. Sacramentalis fit ore corporis in Myste-
rio. Spiritualis solâ fide.

LXV.

5. Personarum qualitate. Spiritualis solummodo
est credentium: Sacramentalis omnium, quotquot S. Cœ-
na fiunt non vovet.

LXVI.

6. spiritualis perpetuò est fructuosa et salutaris, si-
ve fiat in usu Cœna, sive extra usum: Sacramentalis quan-
doq; est damnosa et exitialis.

LXVII.

7. Spiritualis simpliciter est necessaria omnibus (sal-
vandis, juxta verba Christi, Johan. 6. nisi manducaver-
itis carnem filij hominis, et biberitis sanguinem illius,
non habebitis vitam in vobis.

sacramentalis non item. Patres enim in Veteri
Testamento sine ea salvati sunt, uti et infantes Christiano-
rum in Novo Testamento sine ea salvantur, qui propter
defectum probationis sui non admittuntur: Quemad-
modum et privatio Sacramenti nihil quicquam derogat
saluti eorum, qui in Turcia, vel Papatu captivi tenen-
tur. Ubi locum habet illud Augustini, crede et mandu-
casti. Item, Contemptus, non privatio damnat, de Bapt.
lib. 4. cap. 22. Et Bernb. Ep. 77.

LXVIII.

8. Differunt ut res ipsa, et rei finis. Sacramen-
tum res ipsa est. Hujus finis est spiritualis manducas

tio, que

tio, quæ nihil aliud est, quàm fidelis ἀνάμνησις mortis Christi.

LXIX.

9. Differunt ut signum obsignans, & res obsignata. Sacramentalis manducatio in manducantibus digni, obsignatio est spiritualis manducationis. Tam certa enim mihi est remissio peccatorum, salus & vita aeterna, quàm certum est, me mediante pane accipere verum corpus Christi, cujus in mortem traditione, & gloriosâ Resurrectione DOMINUS remissionem peccatorum, salutem & Vitam mihi promeruit & acquisivit.

LXX.

10. Deniq; in spirituali manducatione, unâ actione fidei totus Christus manducatur Carne & Sanguine καὶ μετὰ τοῦ ποτηρίου, hoc est, vera fides Merito Christi firmiter nitens, apprehēdit beneficia Carne & Sanguine Christi parata: In sacramentali autem manducatione, Corpus Christi cum pane sigillatim, & Sanguis cum vino accipitur, non etiam cum pane sanguis, nec cum vino Corpus. Nihil enim hic statuimus, credimus aut docemus præter id, quod Christus verbo suo ordinavit, Is enim solus audiendus.

LXXI.

Neq; audimus calumnias ἀντιμαχῶν, obijcientium, nos duplicem habere κοινωνίαν, unam corporis, alteram sanguinis Christi, loco separatas, & segregare sanguinem à carne Christi, quod in prima Cœna, cui Christus assidebat, non apparuerit, nunc quoq; absurdum esse, statuere corpus Christi ex angue, & sanguinem sine corpore.

Delira

LXXII.

Delira enim sunt rationis humanae commenta isthaec
 & carnalia somnia, non absimilia Papistica concomi-
 tantie. Non statuimus localem segregationem sangui-
 nis à corpore Christi, more naturali: Neq; sequitur, sym-
 bola panis & vini in usu locis sunt separata, Ergò & Cor-
 pus atq; sanguis Christi. Cœlestis thesaurus ille non sub-
 jacet nature, & localitati in natura: Tota itidem actio
 Cœna neq; physica neq; localis est, sed magna ex parte, illo-
 calis, divina, mystica, supernaturalis, quò intellectus nos-
 ter non assurgit.

LXXIII.

In dextera Majestatis Christi ista sunt. Ergò à no-
 bis non metienda sensibus, multò minus canino latratu
 impetenda, quod Carnales faciunt Tropista. Sufficit no-
 bis nosse & credere, Institutionem Christi esse talem, ut pa-
 nis nobis sit κοινωνία Corporis, & Vinum κοινωνία Sangui-
 nis Christi. Hic nemo dicat, Ergò localiter separantur
 Corpus & sanguis Christi: non separantur, Tu digito
 compesce labellum, & crede, Christum posse sine locali se-
 paratione prestare id, quod vult. Locum hic relinque, uti
 & in toto hoc Mystério, finitioni fidei, Ebr. 11. Fides est
 τῶν μὴ βλεπομένων ἔλεγχος: absurda absurdorum, qua
 ratio absurda hic movet, absurdis relinque Calvinicis.

LXXIII.

At, inquires, cur tam operosè agis de orali manduca-
 tione, eamq; à spiritali dispescis? cui bono ista? R. O-
 mnibus communicantibus usum præstant geminum, ὡς
 μυθητικὸν καὶ ἐλεγκτικόν.

W. G.

LXV.

Παράυθηκός multiplex est :

1. Eo ipso, quòd propriâ carne Filius DEI in S. Cœna nos cibât, & proprio sanguine potat, evidenter suam præsentiam nobis comprobât, quam Ecclesia gratiosam promissit, omnes dies usq; ad consummationem seculi, Matth. 28.

2. Secundum Carnem frater noster est : Ergò insigne constantissimi amoris Symbolum nobis dat in Cœna.

3. Si carnem nobis communicat suam, multò magis defensionem & auxilium certum præstabit in omnibus adversis.

4. Carnem à nobis assumit in unitatem suæ personæ, quæ λόγος aternus est, eandem carnem nobis orali manducatione cum pane præbet, ut eò altiùs ad Divinitatem ejus assurgamus, & μέτοχοι τῆς Θεϊκῆς Φύσεως ἀρτίως cum ipso jungamur, ut membra capiti.

5. singulis datur Corpus Christi, singuli ergò applicabunt sibi verâ fide beneficia Christi, ac certò statuent, se esse in fœdere cum Filio DEI, quòd proprio sanguine, quem bibunt, sancivit.

6. Exhibitione Corporis sui Dominus in nobis vult excitare, & identidem renovare veram & vivam recollectionem sui, quòd nimirum propter nos homines, & propter nostram salutem descenderit de cœlis, & Homo factus sit, pro nobis mortem passus in assumpta Natura, quam in Cœna nobis rursus præbet, ut quàm arctissimè nostræ miseræ naturæ copuletur. Chemnicij verba sunt in libello de Cœna Domini, pag. 477. lege totum caput undecimum, quòd practicum est.

E

Hæc

LXXVI.

Hæc viva & efficax consolatio à Satana eripitur omnibus Calvinistis eo ipso, quòd fingunt, substantiam Corporis & Sanguinis Christi à Cœna, ab ore nostro immenso intervallo submotam & disjunctam esse, & corpora nostra nudum panem & Vinum in Eucharistia accipere. Unde non mirum, quòd S. Cœnam suscipi deq̄ habent, rarò eà utuntur, moribundis etiam parum prodesse, aut non necessariam esse ineptè garriant. Nos pro viva & solida consolatione, quam Oralis manducatio nobis præbet, Christo Domino nostro devotas gratias agimus.

LXXVII.

1613. Usus ἐλεγκτικὸς ἐστὶν contra eos, qui corporibus humanis Resurrectionem & vitam æternam denegabant. Qualis olim erant Valentiniani, & hos secuti Marcionite: qui perversâ verborum Pauli, 1. Cor. 15. Caro & Sanguis Regnum DEI non possidebunt, interpretatione, carnis Adamicæ Resurrectionem inficiabantur: quod & nostrâ ætate fanatici nonnulli sine mente & fronte factistârunt, quos Divina Nemesis horribiliter coërcuit.

LXXVIII.

Contra tales fanaticos Sancti Patres acriter dimicabant, sumto inter alia argumento à reali presentia & orali manducatione Corporis Christi in S. Cœna; probantes, non tantùm animam esse immortalem, sed etiam corpus pasci ad immortalitatem: Ideò S. Cœnam in precibus suis nominârunt ἀρραβῶνα, pignus æternæ Vitæ & Salutis. Et Canon Nicenus Corpus & Sanguinem Christi vocat σύμβολα τῆς ἡμετέρας ἀναστάσεως.

Quo

LXXIX.

Quo pacto enim corpus hominis fidelis, in terra pul-
vere in aeternum nihil redigi queat, toties vivifico Christi
Corpore particeps factum? Imò eum ob finem Christus
Corpore suo, in gloria Patris exaltato, in nos quoque transit,
ut certos nos reddat, velle se corpora nostra è terra suscitare,
& σύμμορφα reddere suo corpori glorioso. Omnem enim
accepit potestatem.

LXXX.

Eant nunc Metonymici, & Veram presentiam, cum
Orali manducatione Corporis Christi in Cæna negent, &
sic hereticis, immortalitatem corporibus nostris denegan-
tibus, hastam porrigant, Dico: non tantum Electos vi Sa-
cramentalis manducationis, sed etiam reprobos à morte
resurrecturos esse: Illis enim Christus erit Salvator, his
Judex; à quo cavebunt sibi Tropista.

QUÆSTIO IV.

De Manducatione indignorum.

LXXXI.

Μετρητομάχοι Cænam fingunt & habent, non
nisi pro fidelibus & Electis: Spiritualem enim
duntaxat urgent Corporis Christi manducationem, expro-
sà sacramentali. Quare negant, indignos in S. Cæna Cor-
pus Christi manducare.

LXXXII.

Faciunt autem triplices indignos, duce Bucero ἀμ
φιλόξω.

1. Religionis Christianae expertes, quales sunt Iudaei & Turcae, & omnes, extra Ecclesiae pomeria constituti.
2. In fide infirmos & languidos.
3. Omnes impios, & in peccatis perseverantes hypocritas. Hos omnes pariter à manducatione Corporis Christi arcent.

LXXXIII.

Sed quid Sacramento Cœnae cum Iudaeis & Turcis, cum sit Bonum Ecclesiae? In Ecclesia sunt digni, & indigni, fideles & hypocritae. Perpetuò enim fidelibus hypocritae admiscuntur.

LXXXIV.

Asserere in fide languidos & infirmos indignè manducare, est s. Scripturam ἀθεολόγως ignorare. Quis enim magis eget fidei confirmatione, quàm ij, qui imbecilles sunt in fide? Et quotusquisq; in Conscientia sua certus esse poterit, se satis robustum esse in fide & validum, ad dignam Corporis Domini perceptionem? Detur vel unum individuum humanum, in quo non inveniatur quotidiana lucta Carnis & Spiritus? dabitur nullum.

LXXXV.

Qui se sentiunt in fide infirmos, opus maximè habent confirmatione ex cœlesti cœna D. Medicina. Infirmi enim opus habent Medico, Matth. 9. Christus infirmos in fide suscipit, Rom. 15. Qui laborant, & onerati sunt, & refectiois egent, ij vocantur à Christo, Matth. 11. Beati Esurientes, Matth. 5.

LXXXVI.

Quare frivola est & planè inepta indignorum dis-

tinctio

Vide Apolog. Formulæ Concord. pag. 139. 140. Et Refut. Brem. pag. 126. cum multis seq.

stinētio Buceriana, quam Calvinista retinent. Fovent enim omnes istud ὑπερλον, nimirum, S. Coenam saltem pro Electis institutam esse, qui Corpus Christi spiritualiter edunt. Quasi verò infirmi in fide non sint fideles, Et Electi quoq; in fide languidi esse possint.

LXXVII.

Nostra Ecclesia cum Confessione Augustana & Formula Concordiae, Dignos communicantes esse statuunt eos, qui seipos probant, qui penitentiam agunt, & in Christum credunt, sive firmâ sive infirmâ fide sint pradii.

1. Cor. II.
2. Cor. 13.

LXXVIII.

Indignos verò eos, qui sine agnitione peccati, sine contritione, sine verâ fide, sine firmo emendandi vitam proposito, imò retinentes peccandi propositum accedunt, & manent hypocrite, nunquam accessuri, nisi metuendum foret, ne pro manifestè impijs, infidelibus & hypocritis habeantur.

LXXIX.

De his inter nos & Calvinistas controversatur. Affirmamus nos: indignos aequè atq; indignos Corporis Christi Sacramentaliter fieri participes: negant adversarij.

XC.

Si enim concederent, improbâ suâ causâ prorsus caderent, hoc est, cogerentur & realem praesentiam, & Oralem manducationem admittere. Eo ne redigantur, omni contentione contra indignorum manducationem pugnant.

XCI.

Sed fundamentis Assertio nostra nititur firmissimis.

1. *Suppeditant Verba institutionis & tota actio prima Cœne. Inquit enim Christus omnibus Apostolis, tam Judæ, quàm Jobanni, Accipite, comedite, Hoc est Corpus meum, &c. Et sicuti Omnes, neq; Judæ excepto, ex benedictio poculo biberunt, ut Marcus habet; ita quoq; omnes manducârunt.*

XCH.

Cap. 22.

Lucas etiam testatur, Judam in Mensa Domini fuisse præsentem: Ecce manus prodentis me mecum est in mensa. Discubuit enim Christus cum duodecim, Lucâ eodem teste. Neq; uspiam legitur, Judam post Agni paschalis esum, ante s. Cœne institutionem ex Apostolorum consortio exiisse.

Vide Refut.
Bremenfi-
um. pag.
108. 109.

Idem sancti Patres, historia Evangelica evidentiâ moti, statuerunt, ut Augustinus contra Fulgentium cap. 6. Judas proditor bonum corpus, & Simon Magus bonum Baptisma Christi percepit, sed quia bono benè usi non sunt, mali malè utendo deleti sunt. Et Epist. 162. Tolerat Dominus Judam diabolum, furem, venditorem suum, & sinit accipere inter innocentes discipulos id, quod fideles nôrunt esse pretium nostrum. Si placet, plura vide, de Verbis Domini Serm. 11. Ad fratres in Eremito Serm. 8. In Psal. 65. Tractatu 50. In Johannem contra Petilianum lib. 2. c. 40.

Chrysostomus, 1. Cor. 11. Christus proditorem à Cœna non depulit, quin potius illi cibos detulit, & divinorum munerum participem fecit.

Idem in Homilia de prodicione Judæ: Præsens erat Judas quoq; Christo dicente, Hic est sanguis meus.

Itheo

Theodoretus (quem Calviniani suam vocant) in
1. Cor. 11. Non solum undecim Apostolis, sed etiam Juda
proditore pretiosum Corpus & Sanguinem impertijt.

Bernhardus, Ille, qui cum Juda proditore Corpus
Domini accipit, cum Juda condemnatur.

XCIII.

2. Ubi Christus nullum ponit discrimen inter dignos
& indignos, ibi hominis non est discrimen statuere. Sed
in institutione Manducationis Sacramentalis Christus
nullum facit discrimen dignorum & indignorum: sed
omnibus ex aequo dicit, Accipite, comedite, bibite ex eo
OMNES. Cui mandato omnes Apostoli paruerunt. Er-
go, &c. Quis ergo Tropistis, Christi (si dijs placet) Magi-
stris potestatem dedit, inter dignos & indignos discrimen
statuere, circa Sacramentalem manducationem?

XCIV.

3. Ex Paulo sumimus 1. Cor. 11. Quicumq; indignè
manducaverit PANEM HUNC, scilicet, de quo Christus
dixit, Hoc est Corpus meum, sive, qui est κοινωνία Corpo-
ris Christi, &c. Ergo Paulus docet, posse aliquem indi-
gnè manducare panem, qui sacramentaliter est Corpus
Christi.

XCVI.

4. Ex eodem loco D. Pauli. Quicumq; edendo & bi-
bendo panem, qui est Corpus Christi, & vinum, quod est
Sanguis CHRISTI, reus sit corporis & sanguinis Chris-
ti, eum Corpus & Sanguinem Domini verè sumere, ne-
cesse est.

Id verò indignis contingit: fiunt nempè rei Corporis

& san-

Et Sanguinis Christi edendo Et bibendo, dum non dijudicant Corpus Domini, hoc est, non judicant divinorem esse cibum, atq; communis est Et quotidianus. Ergo verè edunt Corpus, Et verè bibunt Sanguinem Christi. Indignos autem istos esse hypocritas, carere salvificâ fide, Et sine pœnitentia accedere, clarissimè docet Paulus, quando ipsis tribuit reatum Corporis Et Sanguinis Christi, Et Judicium aeternæ damnationis. Verè enim pœnitentes, Et qui in CHRISTUM credunt, non sunt rei, sed absolvuntur ab omni reatu, accipiunt remissionem peccatorum, pascuntur ad vitam aeternam, Et non veniunt in Judicium, Johan. 3. Et 5.

XCVII.

5. *ἄπιστία* hominum non potest *πίσι* DEI evacuare. Neq; pendet integritas sacramenti à fide vel infidelitate hominis utentis, Rom. 3. Sed à Virtute Et Majestate instituentis. Sacramentum est Bonum commune totius Ecclesie, quo Dominus singulis Ecclesie membris, tam vivis, quàm mortuis offert cum pane corpus suum, prabet etiam in usu omnibus vescentibus. Fructu autem salutari excidunt hypocrite, quo soli gaudent fideles. Aliud autem est *ἔσθης* S. Cœna sive Actio, quæ substantiam Et integritatem Cœna respicit; aliud est fructus.

XCVIII.

Bibunt duo vinum bonum: Uni conducit ob Corporis *εὐεξία*, alteri nocet ob *καχεξία* aut *δυσκροτία* humorum. Usus vini ambobus communis est; sed fructus illi tantum cedit, huic noxa Et perniciēs. Hoc est, quod Origenes in Psal. 37. scribit, febricitantes sanos cibos assumentes,

mentes,

mentes, sibi metipsis inferunt exitium: Ita idem Corpus Domini in Cœna accipiunt boni & improbi; illi fructuosè ad salutem, hi perniciosè ad iudicium: quemadmodum Hymnus antiquus testatur, sumit unus, sumunt mille, tantum hic, quantum ille, &c. Sumunt boni, sumunt mali, sorte tamen inæquali, vite vel interitus. Vide paritatem summationis, quàm sit dispar exitus.

XCIX.

Idem contestantur suo calculo S. Patres. Ita enim Augustinus de Bapt. contra Donatistas lib. 3. cap. 14. Non interest, cum de Sacramenti integritate (substantia) & sanctitate queritur, quid credat, & quali fide imbutus sit ille, qui accipit sacramentum. Interest quidem plurimum ad salutis viam: sed ad Sacramenti questionem nihil interest. Fieri enim potest, ut homo integrum habeat Sacramentum, & perversam fidem. Ibid. lib. 5. cap. 8. Indignè sumens Sacramentum Domini, non efficit, ut quia ipse malus est, malum sit, aut quia non ad salutem accipit, nihil acceperit: Corpus enim & sanguis Domini nihilominus erat etiam illis, quibus dicebat Apostolus, qui manducat, iudicium sibi manducat.

Gregorius in Moral. dial. 4. Est quidem in peccatoribus & indignè sumentibus vera Christi caro, & verus sanguis, sed essentiâ, non salutari efficientiâ. Origenes Homil. in diversos: Quando sanctum illum cibum accipis, manducas & bibis corpus & sanguinem Domini, tunc Dominus sub tectum tuum ingreditur. Et tu ergò humilians te ipsum, imitare Centurionem, & dicito, DOMINE non sum dignus, ut sub tectum meum intres. Ubi enim

F

indi-

indignè ingreditur, ibi ad iudicium ingreditur accipienti.
 Plura Patrum testimonia lege in Refutatione Orbodoxi
 Consensus, & in Chemnicij libello de Cœna Domini, c. 10.
 C.

Effugium querit Calvinus, distinguendo inter exhi-
 bitionem, & perceptionem, indignis, ait, Corpus Christi
 exhiberi tantum, non etiam accipi ab ipsis, & comedi.

C I.

Sed rationes modò posite ex Verbis Christi & D. Pau-
 li, & Doctorum Ecclesiasticorum testimonia, non de sola
 exhibitione Corporis Christi loquuntur, sed de sumptione
 & acceptione indignorum. Verum itaq; manet, indi-
 gnos non tantum externa Elementa, panem & Vinum, sed
 simul etiam ipsum Corpus & Sanguinem Domini Ore su-
 mere.

C II.

Quicquid hic porrò obijciunt mysteriositates. 1.
 de carne Christi vivificâ. 2. de contemptu Corporis Chri-
 sti. 3. de statua Imperatoris, cui illuditur. 4. de Verbo
 Ἀνεῖνεν, quòd solius sit fidei. 5. quòd Iudicium non
 possit ore manducari. 6. quòd blasphemia sit, si quis sta-
 tuat, Corpus Christi tam ab impiis, quàm à piis mandu-
 cari. 7. per impiorum manducationem vim vivificandi à
 Christi corpore sejungi. 8. Christum in S. Cœna non pro-
 poni nobis ut Iudicem, sed ut Salvatorem, & similia, ex
 superioribus iudicari, & confutari facile possunt, Ad sin-
 gula paucis respondeo.

C III.

Ad primum. Caro Christi semper est vivifica in

se, &

se, & vult vitam dare omnibus, qui dignè accedunt, indignos non vivificat; quia carent organo ληπικῶ, non apprehendunt fidem, δύναμιν ζωοποιητικὴν, vel ipsam ζωὴν. Ita fit per accidens, ut non vivificet indignos. Non enim infrequens est aliquà re bonà uti, sine fructu & salute. Pàmum paradisi comederunt Protoplasti, sed ad mortem, Genes. 3. capite. Pusta, quia ex inobedientia comederunt. Arca DEI bona erat per se, & divina: sed Philisthæis, Bethsemitis & Vse, perniciofa erat & exitialis, 1. Samuelis 5. & 6. 2. Samuelis 6. Verbum DEI est odor mortis ad mortem, & odor vitæ ad vitam, pro subjeçtorum diversitate, 2. Corinth. 2. Imò Christus ipse non tantùm est salvator, & vita, Luc. 2. Johan. 11. 14. sed etiam Judex Johan. 5. & mors ac pestis, Osee 13. 1. Cor. 15. Ita Nazarethani habebant Christum præsentem, sed sine miraculis; obstabant enim ipsi invidia, odio, & incredulitate, Marc. 5. Sed ubi fidelis hæmorrhousa simbriam vestimenti ejus attingit, vim salutiferam à Christo exire in semetipsa sensit. Adde, vivificationem esse actionem Christi voluntariam, non necessariam, exercet eam, quando & ubi vult. Sed quid pluribus opus est? An non Calvinistæ omnem virtutem vivificandi in Articulo de Persona Christi detrahunt assumptæ naturæ? Cur ergò hic urgent, quod non credunt?

CIV.

Ad secundum. Paulus non loquitur de contemptu corporis, quod increduli Christum contemnendo reatum sibi attrahant; sed de edendo & bibendo. Edere non est respuere, vel contemnere. Scimus extra usum Cœnæ

reatum contrahi contemptu Christi: sed D. Paulo hic τὸ
edere Corpus Christi cura est, & asserit hypocritis indie
gnè edendo reos fieri Corporis Christi. A verbo non reces
dendum.

C V.

Ad tertium. Statuam Imperatoris obijciunt, ea
si contumeliâ afficiatur (idem sit iudicium de diplomate,
& sigillo Caesaris; si per contemptum in terram projiciatur)
ajunt in ipsum Imperatorem contumeliam redundare.
Ita hypocritas indignâ Symbolorum Cœna manducatione
in ipsum Corpus & sanguinem Christi peccare, quorum
sunt Symbola.

Rx. Statua est nuda Caesaris representatio, aut moni
mentum: Non ita panis Eucharisticus, qui non repræ
sentat, sed verè exhibet signatum, hoc est, Corpus Christi,
mystico modo: Hoc quia præstantior pars est Cœna, ideò
Paulus Corpus Christi indignè edendo reatum contrahi
docet.

C VI.

Ad quartum. Quòd τὸ Ἀναξιμεν ad solam fidem
referunt, id contra Paulum est. Non enim de spirituali
agit manducatione, sed de sacramentali: in hac jubet di
judicare Corpus Domini à communi cibo, & quidem eden
do dijudicare. Hoc qui non facit, edit sibi iudicium, quia
non discernit Corpus Domini. Vult Paulus: Quorundam
manducationem in Cœna dignam esse, quorundam indi
gnam; dignam Ἀναξιμεν Corpus Domini à communi cibo,
indignam ἔστι Ἀναξιμεν, etiamsi præsens sit, & Ore accipias
tur. Et quo pacto queso indigni Corpus poterunt dijudi

care,

care, cum ex Calvinistarum sententia, indignis non adsit, nec detur ullo modo?

CVII.

Ad quintum. Et quid hoc est, Judicium non posse oraliter manducari? Quidni possit? cum Paulus Apostolus hoc affirmet. Utique spiritualiter nemo sibi manducabit judicium: quia fide fit spiritualis manducatio. Qui autem credit, non judicatur, Joban. 3. & 5. Ergo recte dicit Paulus, (Ore) manducari judicium: quia indigna manducatio est causa judicij vel damnationis. Fit enim ex impoenitentia & amissa: & qui non credit, jam judicatus est, quia non credit Verbis Christi, quae praesentiam Corporis Domini asserunt & promittunt, & oralem manducationem praecipunt: neque credit Corpus CHRISTI pro se in mortem esse traditum, neque annunciat mortem Domini.

CVIII.

Ad sextum. Et quid hic de blasphemia gannunt blasphemus? Qui docet, Corpus Christi ab indignis edi, blasphemus est. Ergo blasphemus est Christus, qui sacramentum corporis & sanguinis sui omnibus instituit, & Juda indigno porrexit ipse: Blasphemus est Paulus, qui docet, indignos edere Corpus Christi: Blasphemi tot Patres Ecclesiastici, qui quodlibet indignorum manducationem adserunt. Absit. Absit. Blasphemi potius sunt Calvinista, qui Christo, qui Paulo, (non amplius blasphemus Saulo) qui S. Patribus, qui nostris Ecclesiis blasphemiam è suo cerebello obtrusam cupiunt, & Verbis Christi sanctissimis Agrippinon contradicunt.

CIX.

Ad septimum. Sed neq; hoc sequitur, si indigni manducant Corpus Christi ad Judicium; Ergò vis vis vivificandi, vel vivificatio à Corpore Christi divellitur: sequeretur sanè, si Corpus vel caro Christi naturaliter & est àváyvns vivificaret, sicuti sol naturaliter & necessario calefacit, sed supra dictum est, Christum non tantum esse vitam, sed etiam mortem, non saltem Salvatorem, sed etiam Judicem. Vita & Salus nostra est κατ' αὐτὸν, & constantissimâ voluntate erga omnes, qui credunt: mors & judicium fit ex accidente; culpâ hominum, qui fide carent. Dicant nobis novi ex novo Orbe sapientuli: Num Christus vita sit, cum Judam proditorem judicat, & aeterno exitio mancipat? Quando Turcas, Judeos, & alios blasphemos, omnes etiam Epicureos, & obstinatos peccatores, qui sine pœnitentia & fide decedunt, ut Judex diabolo tradit? Utiq; vita est, & manet per se, & in se; esset & istis omnibus, si non seipsos indignos facerent. Sic Vita erit, & vivificatio ipsa, quando ijs, qui ad sinistram stabunt ἐν ἡμέρᾳ τῆς κρίσεως, dicet, ite maledicti in ignem aeternum, paratum diabolo & angelis ejus: Sed vitam non exeret, nisi erga Electos. Ita Christus in omni Usu & Actione Cœnae vita est, & promtus paratusq; est vivificare, omnes Corpus suum cum pane accipientes. Quòd autem non omnes vivificat, ipsi suâ incredulitate in causa sunt: quia non dijudicant Corpus Domini.

CX.

Ad octavum. Corruet & istud: Christus nobis in S. Cœna non proponitur, ut Judex, sed tantum ut Salvator.

vator.

vator. Profunda hæc est Theologia. Ergo in Ministerio Verbi tantum salus predicatur, non etiam mors & gehenna. Dicitur est, Christum utrumque esse, Salvatorem omnibus credentibus: Judicem omnibus incredulis, tam per predicationem Verbi, quam per usum Sacramenti. Non enim Christus est Salvator ἀπλῶς & necessario, sed ἐξ ἐπιθέσεως, id est, sub conditione fidei. Offerit toti Mundo suam justitiam, gratiam, vitam, salutem, Ea vero fide à nobis apprehendenda est: sine fide vita & salus non tenebitur. Quare si quis sine fide utatur Sacramento, integrum quidem accipit, sed ad iudicium. Si ad iudicium. Ergo Christus, ut Judex, adest. Non enim est iudicium sine Judice. Sed & de hac questione satis.

CXI.

Moveat hæc ἐπιπέσεια omnes, ut magnitudine periculi moti, de digna sacramentali manducatione perpetuo cogitent, & Christum blandissimum Salvatorem experiantur potius, quam iratum & severum Judicem.

QUÆSTIO V.

De sexto Capite Johannis.

CXII.

Sacramentarij contra oralem, & imprimis Indignorum manducationem, perpetuo adducunt concionem Christi ex sexto Johannis capite, ut imperitiosi, qui diversorum generum jura uni cibo affundunt. Perversè enim confundunt sacramentalem & Spiritualem

tualem

tualem manducationem. Quare de hac etiam questione pauca adducenda sunt, ut Veritas omni ex parte sibi constet, & aurea Christi concio à depravationibus perpetuo vindicetur.

CXIII.

Christus in eo capite multa consolationis vera plenissima profert de Carne sua, & sanguine, ejusq; manducatione & bibitione: Sed omnia figuratè, & extra Sacramentum: que à Tropistis vi manifestà ad S. Cœnam torquentur: Inprimis pronunciatum Christi, caro nihil prodest quicquam, excerpunt, & de Christi carne interpretantur.

CXIV.

Primus erat Cinglius in Helvetia, qui his verbis contra Testamentum Christi abutebatur: sed ita graviter & nervosè à Divo Lutero in Majori Confessione refutatus est, ut mirum pia menti videatur, Calvinistas eò dementia prolabi, ut Lutero contradicentes, Carnem Christi nihil prodesse, per horribilem blasphemiam eructent.

CXV.

Sed ipse contextus arguit ipsos evidenter. Rem in pauca contrabo: Christus his verbis, Caro nihil prodest, non de sua carne loquitur; sed de pura puta humana carne, quam Capernaite falsà imaginatione intelligebant, quando ajunt: quomodo hic potest nobis suam Carnem ad edendum dare? o æquo Quæzian naturalem somniantes.

CXVI.

Ubi manifestum est, Capernaite talem carnem intelligere, qualem ipsi crassam, & nature corruptibili sub-

jectam



iectam gerebant. Cupiebant enim sibi signum dari à Christo, quale Patribus olim in deserto datum fuerat, nimirum panis desuper. Inde arripit Christus occasionem metaphoricè concionandi in Synagoga Capernaumitica de sua carne, & dicit.

CXVII.

Moses non dedit vobis panem de Cælo: Sed Pater meus dat vobis verum panem de cælo. Mea caro est panis, qui de cælo venit, panis vita eterna. Ego sum panis vita, qui veniet ad me, non esuriet. Panis, quem ego pro Mundi vita daturus sum, mea est caro. Et hæc est voluntas Patris, ut, qui videt filium, & credit in eum, habet vitam eternam.

CXVIII.

His & multis sententiis similibus docet Capernaïtas, quid de Persona, de officio, de beneficiis Messia sentire debeant. Debebant nempe credere, Christum non esse Ἰσραὴλ ἄνθρωπον, sed Θεῶν ἄνθρωπον, DEI & Mariae Filium ἐν μίᾳ ὑποστάσει; quia de cælo venerit. Non quòd carnem suam εἰσαγάγειν attulerit, qui Valentinianorum error fuit, sed quia ipse DOMINUS de Cælo humanam naturam personali unione sibi copulavit. Hinc dicit, se esse panem vivum, qui de cælo venerit, & se carnem suam in mortem traditurum, ut omnes, qui eum ita videant, hoc est, verà fide agnoscant, vitam habeant sempiternam.

CXIX.

Quid ad hæc Auditores Christi, Capernaïta? Altercantur inter sese, & regerunt: Quomodo hic nobis carnem suam potest dare ad edendum? Urget Christus,

G

& in=



Et instat: Nisi manducaveritis carnem Filij Hominis, & biberitis sanguinem ejus, non habebitis vitam in vobis. Caro mea verè est cibus, &c.

CXX.

Quid Capernaita ad ista? Non tantùm ipsi, sed etiam nonnulli ex discipulis & sectatoribus Christi murmurabant contrà, durum sermonem hunc appellantes, quem nemo audire queat.

CXXI.

Quibus Dominus porrò: Spiritus est, qui vivificat: Caro nihil prodest quicquam, quasi dicat, Spirituali & fidei manducatione hic opus est. Qui enim Spiritu & fide carnem meam comederit, vitam consequetur: Caro verò crassa, purè humana, ad phantasiam vestram comesta, nihil prodest.

CXXII.

His auditis, quidam discipulorum, qui Christum haecenus fuerant secuti, ab eo discesserunt. Apostoli verò concionem Christi rectius percipientes, veram per Petrum Confessionem edunt, sub finem capituli: Habes verba vite aeternae, & nos credimus, & cognoscimus, quòd Tu es CHRISTUS Filius DEI viventis.

CXXIII.

En verum finem & Effectum concionis Christi, quae eò tendit, & directa est, ut Auditores ipsum pro Filio DEI, pro Mediatore, Redemptore & Mundi Vita agnoscant. Hoc agnoscunt & confitentur Apostoli: Et his Caro Christi plurimum prodest. Capernaitis verò murmurantibus, & concionem Christi cavillantibus, dum aures &

mentes

mentes ipsorum peregrinantur, ait Dominus: Vos non habetis spiritum & fidem, quae sola vivificat, apprehendens nimirum beneficia carnis meae in mortem tradenda pro mundi vita. Caro verò merè humana Vobis nunquam proderit ad vitam: neq; ego de naturali & abominabili carnis humana esu loquor, ut vos perperam accipitis, sinistra arripientes, sine omni studio piè & sollicitè meditandi Verba mea, quae Vobis dextra dexterrimè trado.

CXXIV.

Capernaite enim Christum non pro DEI, sed Josephi & Mariae Filio habebant; Negant itaq; Christi Divinitatem, negant hypostaticam unionem, negant officium & Meritum Christi. Quare jure audiunt à CHRISTO, Caro talis, qualem vos cogitatis, nihil prodest. Non ergò loquitur de sua carne, ut impiè nugatur Cinglius cum suis palpatoribus: neq; de sacramentali manducatione.

CXXV.

Audiamus potiùs Reverend. Patris Lutheri iudicium de sexto capite Jobannis, in praludio de captivitate Babylonica Ecclesia.

Caput sextum (inquit Megalander) in totum est seponendum, ut, quòd nec syllabà quidem de Sacramento loquitur, non modò, quòd Sacramentum nondum esset institutum, sed multò magis quòd ipsa sermonis & sententiarum consequentia de fide incarnati verbi Christum clarè loqui ostendunt. Dicit enim: Verba mea spiritus & vita, ostendens, se de manducatione spirituali loqui, quà, qui comedit, vivit, cū Judaei de carnali esu intelligerent, ideoq;

Tom. 2. lat.
Ien. p. 260.

NB.

litigarent. At nulla manducatio vivificat, nisi fidei. Hæc enim est verè spiritualis, & viva manducatio, sicut & Augustinus dicit: Ut quid paras, ventrem & dentem? Crede & manducaſti: Quare non poteſt de Sacramento intelligi hoc loco locutus. Sunt sanè quidam his verbis ad Sacramentum docendum abuſi, ut & decretalis dudum, & alij: Sed aliud eſt abuſivè ſcripturas, aliud legitimè intelligere. Et Augustinus contra Julianum lib. 2. ex Innocentio probat, etiam infantes citra Sacramentum manducare carnem & bibere ſanguinem Chriſti, id eſt, eadem fide Eccleſiæ communicare. SIT ERGO RA-
 TA HÆC SENTENTIA, caput ſextum Johannis ni-
 bil ad rem facere. Hactenus Lutherus. Vide eundem
 Tom. 3. germ. Jen. in firmamento Verb. Cœna pag. 364.
 & in majori Confeſſione, pag. 467. & ſeq.

CXXVI.

Imò Calvinus ipſe rei evidentiâ convictus in Joban-
 nem, pag. 44. ſcribit. Non de Cœna habetur hic (Job. 6.)
 concio, ſed de perpetua communicatione ſpirituali, qua
 extra Cœna uſum nobis conſtat, & palàm ex verbis appa-
 ret, totum hunc locum perperam de Cœna exponi. Ubi à
 Magiſtro ſuo diſcipuli deſciſcunt.

CXXVII.

Sed tenenda, & ubi opus eſt, urgenda ſunt diffe-
 rentia inter concionem Chriſti in ſexto capite Johannis,
 & Sacramentum Corporis & ſanguinis Domini, que
 manifeſta ſunt.

1. Differunt toto genere. Aliud eſt fides: aliud
 publica ceremonia, ſive Actio Sacramentalis.

2. Obje-

CXXVIII.

2. *Objectis.* Aliud est tota persona Christi cum universo Merito & beneficiis, quae solà fide apprehenduntur, Joban. 6. Aliud corpus & sanguis Domini in institutione venerabilis Sacramenti cum symbolis pane & vino.

CXXIX.

3. *Subjectis.* Aliud est typus cum antitypo, manna nimirum sive panis in Deserto, cujus antitypon est caro Christi, imò filius Dei, qui de caelo descendit. Aliud est panis Eucharisticus, quo mediante Christus suum Corpus exhibet vescentibus.

CXXX.

4. Jobannis 6. nec de sacramentali manducatione agitur, neq; ea ullo Verbo promittitur: Sed occasione typici Manne à Capernaitis datâ, Christus agit de Spirituali manducatione suae carnis. In Eucharistia verò sacramentalis manducatio instituitur & praecipitur, nemine monente.

CXXXI.

5. Joban. 6. Verba manducare & bibere κτ̄ μετὰ φωνῆν usurpantur, pro credere: In Verbis institutionis sine tropo propriè accipiuntur de Orali manducatione, ut probatum supra.

CXXXII.

6. Manducatio Joban. 6. Est omnium temporum. Duravit ab initio Ecclesiae: Sacramentalis verò novi Testamenti est prorsus ignota hominibus veteris Testamenti.

CXXXIII.

7. Manducatio Joban. 6. ubi vis locorum, & omni

tempore peragi potest. Fides enim liberrima actionis est in pijs, quæ à Spiritu sancto aguntur. Sed sacramentalis tantum fit in usu S. Cæna, ubi & quando ea administratur, vel in congregatione publica, vel etiam privatim, urgente necessitate.

CXXXIV.

8. Si dignè vis uti S. Synaxi, Spiritualem manducationem tecum adferas necesse est: Manducationem sacramentalem, non adfers, sed queris in usu Eucharistico.

CXXXV.

9. Sacramentalis spiritualem roborat & obsignat, quia digno usus. Synaxeos fides confirmatur. Eo ipso enim quod Corpus suum in Cæna Dominus mihi dat fruentium, me facit certissimum remissionis peccatorum, & omnium cælestium beneficiorum, quæ traditione Corporis sui in mortem non minus mihi, quàm alijs acquisivit.

CXXXVI.

10. Manducatio Job. 6. quæ fide fit, semper est digna & salutaris: Sacramentalis quandoq; est indigna & exitialis, nimirum, hypocritis, qui sine fide accedunt.

CXXXVII.

11. Tropista in Verbis Cæna faciunt Metonymiam. In concione Christi Johan. 6. non metonymia, sed Metaphora, perpetuò dominatur. Ergo ex ipsorum Metonymicorum opinione sextum caput Johannis ad S. Cænam referri haud debet.

CXXXVIII.

12. Tandem circumstantia temporis, etiam à D. Luthero superius notata, discrimen facit evidens. Concio

enim

enim Joban. 6. c. Capernaumi in Synagoga in tertio Paschate Ministerij Christi habita est, Cæna verò Hierosolymis instituta est in quarto Paschate. Quare vera & genuina sententia verborum Cæna non sumenda est ex 6. cap. Johannis: Sed ex ipsa Institutione Christi, & repetitione Paulina.

CXXXIX.

Subijcio tres Regulas κερύμας, qua contra κυβείας Sacramentarias probè notanda sunt.

1. De DEO & rebus divinis non licet judicare juxta arbitrium humanum; Scriptura enim θεόπνευστος & non est ιδίας Πιλούσεως; Sed juxta Verbum divinitus datum.

2. A Verbis S. Scriptura non est recedendum, si præter rationis scandalum causa nulla subest.

3. In DEO non sunt contradictoria voluntates, sed ubi vis in scriptura ea est certa DEI voluntas, quam verbo expressit; Et potens est præstare omnia, qui verbo se præstare velle ostendit. Quare judicemus Verba S. Cæna ex ipsa Institutione: Judicemus concionem in Johanne è suo contextu, & non rationis ductum, sed fidei obedientiam sequamur.

CXL.

Patres nobis obijciunt, qui passim sextum caput Johannis ad Cænam accommodarunt.

R. Considerandum à κερύμας, quo sensu Patres accommodent; nonnulli malè, contra mentem Christi; qui decepti falso intellectu verborum, qui non manducaverit carnem meam, non habet vitam, etiam infantibus Cænam dispensarunt; alij sacramentalem cum Spirituali mandu-

catione

catione confuderunt: nonnulli benè, qui non simpliciter ad Sacramentum Cœna retulerunt, sed tantum ratione Spiritualis manducationis, & salutaris fructus. Quod non improbamus. Idem enim & nobis licet.

QUÆSTIO VI.

De Metonymia Calvinistica.

CXLI.

Primarium caput contra Calvinianos in hoc negotio, est, questio de propositionibus sacramentalibus. Quia enim verba institutionis in rationis Judicium, & Logicorum regulas de predicationibus videntur impingere, valdè solliciti sunt dipsosophista, quâ ratione juvent & fulciant Logicam, ut ista modò illasa maneat, potius, quàm verba Christi, quæ suis glossematibus luxant & torquent, quò volunt. O cacas hominum mentes! Verba Christi per se obscura non sunt: Sed res ipsa, quæ verbis enunciat, nobis ἀδύνατος est, quia mysterium continet, cujus modum intelligentia nostra investigare non valet. Contra Cinglius in Colloquio Marpurgensi, Anno Christi 1529. Gott gibt uns nicht solche unbegreifliche dinge für: quasi verò Ratio humana, & non fides à spiritu sancto accensa in Divinis dominari debeat. O Miseram Cinglianorum Theologiam, quæ non supra rationem assurgit!

CXLII.

Hinc Verbum **EDITE**, ipsis est **Credite**: Hoc, res

lativum

lativum faciunt, & ad solum panem referunt, nec sinunt esse demonstrativum corporis. EST ipsis idem est, quod significat. CORPUS, idem, quod signum, sive memoriale corporis absentis: Omnia ista in eum finem, ne praedicatione inusitata admittat, praesentiam Corporis Christi realem, & Oralem manducationem admittere cogantur.

CXLIII.

Novam novi sapientes fingunt grammaticam. Ita-
nè? Edite idem est, quod, credite? Annon Verbum, Edite, panem quoque respicit? Edimus nè panem, an credimus?
Et, si bibere idem est, quod credere, quomodo Judas bibit in usu Coena? qui fuit sine fide.

CXLIV.

Quòd si Edere est Credere, quodnam ergò fuerit discrimen inter substantiam s. Coena, ejusque finem sive fructum? Quae duo tamen, ut in omni re; ita in hoc Myste-
rio, accuratis distinguenda sunt limitibus: aliàs indigni, qui carent fide, prater nudum panem nihil ederent, contra expressum Pauli textum, 1. Cor. 11. quo de superius.

CXLV.

Particulam HOC, olim quidem Carolo Stadius ineptè ad solum Corpus referebat, semoto pane, per distinctionem puncti, quod ante particulam, HOC, poni volebat. Sed iam Cinglius ipse, quàm Calvinus, ineptias istas rejiciebant. Nunc de iuxta, HOC, mutant in relativum, quod refertur ad antecedens, & solum panem eo denotari ajunt, ut inde efficere queant, hanc propositionem; Panis est Corpus Christi. Hanc, quia disparata jungit, non sinunt cum Philippo esse inusitatam, sed fingunt esse Meto-

H

nymis

nymicam, ita, ut panis sit figura, typus, Symbolum Corporis absentis.

CXLVI.

Beatus Lutherus sanè ipse quoq; hanc Enunciationem, Panis est Corpus Christi, retinuit contra Carolostadium, ut ostenderet, HOC, etiam ad panem referendum esse: Sed nunquam exequavit eam Enunciationi Christi, HOC EST CORPUS MEUM. Hac enim divina est autoritatis, illa humana: Hac sine Explicatione intelligitur, cum Verba sunt perspicua; illa explicatione indiget, quam Lutherus veram, verbisq; Christi consonam addidit, nimirum, Panis, non nudus, sed benedictus panis est Corpus Christi, non ἁπλῶς, essentialiter, non ex natura proprietate, non per Papisticam transsubstantiationem, neq; σπουδαίως aut τυπικῶς per Calvinianam Metonymiam: (quæ nihil aliud est, quàm ἀντίδοσις τῶν ὀνομάτων, sive Cingliana alleosis, diaboli larva hic, & in loco de persona Christi) sed μουσικῶς, arcano modo, quem Sacramentalem dicimus: quia panis est medium, per quod suum verum Corpus DOMINUS dispensat.

CXLVII.

Sed Tropistæ in hac ἀποφάνσει, panis est Corpus Christi, μετὰ ὀνομασίας fingunt signi pro signato, ita ut ponatur pro corpore Christi, sicut sceptrum pro regno.

CXLVIII.

Dicit Calvinus (in institut. pag. 234.) metonymicum esse hunc sermonem. Et in consensione de re sacramentaria, pag. 885. Figuratum esse loquendi modum,

inge.

ingenuè concedimus. In consensione cum Tigurinis, cap. 25. Extra controversiam ponimus, Verba figuratè accipienda esse, ut esse panis & vinum dicantur id, quod significat. Beza in responsione contra Hoffmannum pag. 131. Quod si pati non potes, ut hanc attributionem metonymicam esse dicam, age, **ALIUM TROPUM COMMUNISCERE**, quo genus illud loquendi declaretur. Pro veritatem, ut placent istis hominibus commenta.

Metonymia
soll Christ
intentio
seyh. Neo-
stad. ad mo-
nit. pag. 93.

CXLIX.

Hinc novam commentatores comminiscuntur Maximam: **QUOTIES** de sacramentis agitur, rei signata nomen ad signum metonymicè referendum est. Commentum Calvinisticum est hac regula mendax & fallax.

CL.

Quando Cicero sceptrum usurpat pro regno, regni nullam facit mentionem, sed solà sceptri voce βασιλευς regnum denotat, quemadmodum per fasces imperium, per togam, pacem. Sed quis sani cerebri homo dicet, panis vocem eodem modo metonymicè poni, ut eo nominato, tanquam signo (Calvinistico) mox Corpus Christi intelligatur?

CLI.

Sed urgent: Ut in hac Enunciatione, sceptrum est Regnum, Toga est pax, explicatur Metonymia: ita & in hac; panis est Corpus Christi.

CLII.

Fridolum & hoc est; & præter usum bonorum Auctorum. Ubi unquam legerunt ejusmodi propositionem, Toga est pax, sceptrum est regnum. Ignorat Cicero, non

habet Salustius, non Livius, nec usurpat Caesar, nec Seneca, nec Gellius, nec Comici Poëta, nec Epici.

CLIII.

Ergonè tanta autoritatis erunt isti homines, ut impunè liceat fingere novas loquendi formulas, in tanto Mystério? sine probatorum autorum usu? Quid commeruerunt sanctissima Cœna verba dispositiva, ut in istorum sapientulorum gratiam, talem καυοφωρία in sese debeant admittere.

CLIV.

Declarari quidem metonymia potest, Toga est signum pacis, sceptrum est signum regni: Sed in tali declaratione subito abit & evanescit omnis metonymia, & regularis fit κατηγορία, generis nimirum de specie. Plura enim Regni signa sunt, præter sceptrum, pro cuiusq; regni conditione, diadema, sigillum, & alia.

CLV.

At, inquiunt, non illam Rhetoricam intelligimus metonymiam, in autoribus usitatam; sed Sacramentalem, quam propter Romanensium Transubstantiationem concedi oporteat.

R. Interim metonymia est; & quidem conficta ab ipsis. Quis autem potestatem ipsis fecit, Verba Christi pro suo arbitratu novâ & inauditâ castigandi metonymiâ? 2. Non est, ut tropos comminiscamur, ad refellendam Transelementationem, ipsa Verba Christi nervosam & solidam præbent confutationem, sine commentitia Metonymia. 3. Probè novimus, quò tendat ipsorum fatus, metonymia, ut nimirum ex Pane Eucharistico

nudum

nudum faciant panem, panem metonymicum, significativum, eumq; ab omni Corporis Christi presentia, & reali conjunctione liberent, & sic communicantibus vacua symbola relinquunt, & Corpus Christi caelo includant.

Quare nullam ipsis concedimus metonymiam, sive usitatam velint, sive novam, suum commentum.


CLVI.

Quid? si in copula EST metonymicus tropus lateret, uti Cinglio ursum, & posterioribus Calvinianis omnibus?

R. Non latet. Neq; hoc ante haeresin Calvinisticam auditum lectumve fuit. In metaphoricis quidem propositionibus locum habet copula EST, ut, Christus est via, Johannes est Elias. Similitudo enim hic spectatur: quia CHRISTUS est similis via, Johannes est similis Eliae. Sed in Metonymia, particula EST locum non habet, e. g. quando S. Scriptura Israelem, usurpat pro populo Israelitico, vel Poeta, sive Orator aliquis, Martem pro bello, Vulcanum pro igne, togam pro pace; nunquam copula, est, recte usurpari potest. Non enim formantur inde Enucciationes in ulla lingua usitata.

CLVII.

Non enim possum, neq; debeo dicere,
 Israël est populus Israeliticus,
 Mars est bellum,
 Vulcanus est ignis,
 Toga est pax,
 quia haec locutiones nec sunt vera, nec usitata: Sed ista:
 Israël est pater populi Israelitici,



Mars Poëtis gentilibus est Deus belli,
 Vulcanus est Deus ignis,
 Toga est signum pacis,
 quibus vera metonymia explicatur quidem, sed non sunt
 metonymica prædicationes, Verùm metonymia explicatio-
 nes, quæ ad regulares prædicationes congruunt.

CLVIII.

Accommodetur negotium ad verba Cœne,
 Hoc est Corpus meum:

Metonymia Calvinistica, H O C, id est, hic panis
 est Corpus Christi.

Explicatio Calvinistica metonymia;

Hic panis est signum Corporis absentis.

Ficta & mendax est metonymia. Ficta & mendax est
 metonymia explicatio. Calvinistica enim propositio, Hic
 panis est Corpus Christi, nihil aliud dabit in sensu, quàm,
 panis est panis. Siquidem particula H O C, vel quod ipsis
 idem est, Hic panis, metonymicè pro Corpore sumitur.
 Quæ omnia, quia usui in linguis reclamant, & à mente
 Christi aliena sunt, manet & perstat Christi propositio,
 Hoc est Corpus meum, libera & immunis ab omni meto-
 nymia. Est autem inusitata, & exhibitiva, quemadmo-
 dum & ista, Deus est Homo, Virgo est Mater, Flammei
 Equites sunt angeli, Columba est Spiritus sanctus.

CLIX.

Hinc non sequitur, nostras Ecclesias statuere, panem
 propriè & substantialiter esse corpus Christi; Corpus Chri-
 sti propriè & per se dentibus frangi, deglutiri. Id enim
 jam olim refutavit D. Lutherus, in majore Confessione:

Nemo,

Vide Form.
 Conc. Apo-
 logiam pag.
 154.

Nemo, inquit, Corpus Christi cernit, tangit, dentibus terit Capernaïcè: Sed quia Corpus Christi verè & substantialiter, vi Verborum presens est, panisq; mysticè & Sacramentaliter unitur, rectè tribuitur Corpori Christi Sacramentaliter, quod de pane consecrato dicitur.

CLX.

Qualis enim unio, talis predicatio: Et qualis est modus essendi, talis & predicandi. Unio autem est Sacramentalis, id est, inusitata. Ergo & predicatio talis est: quemadmodum à nostris millies ostensum est: Et tamen calumniis onerant nos Metonymici, contra suam conscientiam.

CLXI.

Quòd porrò ad palliandum errorem, utuntur propositionibus, circumcisio est fœdus, Agnus est Transitus, Petra est Christus, Ager est Mundus, & similibus compluribus, verè abutuntur, & eo ipso magis à Verbis Christi recedunt.

CLXII.

Circumcisio enim non significat fœdus, sed est ipsum fœdus. Ad fœdus enim DEI cum Abrahamo, ejusq; Posteritate initum, pertinent duo: Ex parte Abrahami, præputij certo ritu circumcisio: Ex parte DEI, promissio gratiæ. Promissione, (Ero Deus tuus & seminis tui post te) in fœdus recipiebatur Patriarcha cum posteritate: Circumcisione præputij sacramentali promissio, & in fœdus receptio (non significabatur, sed) obsignata confirmabatur. Ideò D. Paulus circumcisionem non vocat signum, ut Tropista, sed signaculum Justitiæ Fidei.

Utrum

CLXIII.

Utrumq; dicebatur fœdus, per Synecdochē partis, circumcisio & promissio Gratia, non verbaliter & significativè, sed revera. Imò circumcisionis vox, non solam præputij & Epuniv, sed totum Sacramentum, id est, Actionem sacramentalem, cum partibus ad fœdus pertinentibus, denotat.

CLXIV.

Et si autem signum fœderis sive pacti dicitur, Genes. 17. non tamen est penes Metonymicos, signi vocem interpretari per nudum signum significans, sed D. Pauli interpretatio audienda est, qui per signaculum, id est, confirmationem & obsignationem in credentibus, exponit, Roman. 4. Quemadmodum & Baptismus eo modo est signum, id est, signaculum Regenerationis. Unde lavacrum Regenerationis, eo sensu, quo circumcisio fœdus DEI dicitur.

CLXV.

Turpius adhuc hallucinantur, atri Spiritus glossam urgentes, in Verbis, Agnus est Transitus Jehova. Præterquam enim quòd verba ista non leguntur, Exod. cap. 12. longè etiam alium sensum habet, & coherentiā contextus totus.

CLXVI.

Comedetis Agnum (certoritu preparatum) festinanter, inquit DOMINUS. Pesab enim sive Transitus est DOMINI. Et transibo per terram Ægypti in nocte istâ, &c.

Ratio



CLXVII.

Rationem hic dant Verba (Pesab Domini) antecedentium. Nulla prorsus hic significatio, nulla Metonymia.

CLXVIII.

Ab hoc eventu sive Actu, Transitu nimirum Angeli percussoris, totum festum Azymorum, cum universa Sacramentali Actione & Solennitate, Pesab sive Pascha postea vocatum est.

CLXIX.

Demonstrent proinde, ubinam in S. Scriptura Agnus dicatur transitus, & quòd significet transitum. Totum festum Azymorum & Agni Sacramentalis, posteritati debebat esse $\mu\nu\eta\mu\acute{o}\sigma\omega\nu$ Transitus, id est, liberationis Israëlis, propter sanguinem Agni, superliminari posti aspersum: Uti tota actio S. Cœna, in quâ Corpus & Sanguinem Domini accipimus, est memoriale passionis Dominice, quâ liberati sumus ab Ægypto infernali.

CLXX.

Adhæc alia ipsis Enunciatio in ore & calamo est, Petra erat Christus 1. Cor. 10. id est, significabat Christum. En hic babes, clamant, metonymiam.

CLXXI.

Hui quàm bellam: Petra erat Christus. Corporalis: nè an Spiritualis? utiq; non corporalis. Hæc enim Israëlitas in deserto non secuta est, sed suo mansit loco fixa: Ergò spiritualis, quæ non significat Christum, sed est ipse Christus. Petra enim in deserto erat Typus Christi, & Christus Petra Spiritualis erat similis petra corporali.

Matth. 16.

I

Uti

Uti enim hac aquas fundit, ad potandos alendosq; Israëli-
tas in deserto, ubi deficiebant aqua: Ita illa, Christus, a-
quam & sanguinem fundit & largitur vivificum, quo re-
creati servamur ad vitam aeternam.

CLXXII.

Tandem neq; in his locutionibus, Mundus est ager,
Verbum est semen, metonymia est, neq; si vel mille exem-
pla bis similia proferant. Suprà enim dictum, copulam
EST, non pertinere ad metonymiam. Metaphora potius
est in istiusmodi formulis, Mundus similis est agro, Ver-
bum DEI simile est semini bono, ut alibi explicatur.

Quae Christus conjungit, Calviniana metonymia ne
separet.

Christus panem conjungit & unit cum suo corpore,
& Corpus cum pane in usu Cœna.

Ergò, &c.

Textus durabit, glossa peribit iners.

QUÆSTIO VII.

De ἐναριθμογραφία quorundam Articulorum
fidei cum S. Domini Cœna.

CLXXIII.

Objiciunt prætereà 1. Articulum de In-
carnatione τοῦ λόγου, sive de Veritate Humana Natu-
re in CHRISTO.

2. De Ascensione & Sessione ad dextram Patris.

3. De reditu ejus visibili ad Judicium.

4. De

4. De sanctorum communione.
5. De inhabitatione Christi in nobis.
6. De analogia omnium Sacramentorum eadem.

CLXXIV.

Sed frustra sudant, & metuunt, ubi nullus est metus: Meticulosam enim rationem consulunt fidei πληροφωρία (quæ omnia ἐναντιοφάνη facile conciliare potest) posthabitâ.

CLXXV.

Beza contra Vestphalum, pag. 215. sic:

Ad primū.

Nos dicimus, presentiam in terris cum Corporis Christi veritate, ac manifestissimis testimonijs scripturae pugnare: Et nihilominus fatemur, Christum verum Hominem in cælis manentem, ac mansurum usq; ad consummationem seculi, seipsum cum omnibus suis donis Spiritualiter sistere, & offerre per fidem sumendum & fruendum.

CLXXVI.

Ita est: Veram assumpsit & integram naturam Humanam Filius DEI, terminis suis circumscriptam & finitam. Sed quorsum assumpsit? Non in locum naturalem, & mundo Elementari subiectum, sed in λόγον infinitum. Quare retinet natura assumpta suas proprietates, & nihilominus per unionem personalem illocalis facta est. Non enim ἀσθυπόσα est, sed ἐνυπόσα. Nec quicquam omnipotenti Verbo est ἀδύαλον, prestare suo corpore potest, quicquid vult. Vult autem presens adesse in Cæna, & Corpus suum dare manducandum.

Ergo, &c.

CLXXVII.

Quàm miserè, quàm imperitè sinunt se adversarij decipere statum $\kappa\epsilon\nu\acute{\omega}\sigma\epsilon\omega\varsigma$. Quia enim Christus in annum trigesimum quartum naturalibus infirmitatibus fuit obnoxius, usq; ad mortem & sepulturam; prater & supra conditionem hominum, nihil amplius ipsum efficere posse putant.

CLXXVIII.

Sed meminerint, τὸν λόγον non assumisse naturam Humanam duntaxat, ad perpetiendas humanas injurias: sed in sui $\tau\omega\acute{\omega}\sigma\alpha\sigma\iota\nu$ aeternam, ut glorificetur in ea gloria aeterna. Meminerint, τὸν λόγον non coactum, sed sua sponte semetipsum exinanivisse, & tot infirmitates & passionibus humanas sustinuisse; & desinant humani corporis conditiones, quales in suo merè naturali & caduco corpore circumferunt, committere cum mysterio Eucharistico.

CLXXIX.

Sed ad caelos ascendit suo Corpore, & consedit ad dexteram DEI. Qui ergo corpore suo in S. Cæna praesens esse potest in terris?

CLXXX.

O insipientem carnis sapientiam, qua ab Eo, quod videtur, $\alpha\sigma\upsilon\sigma\acute{\iota}\tau\omega\varsigma$ concludit, ad ita ESSE. Reperatur huc sana doctrina de Exaltatione Christi, secundum naturam assumptam.

CLXXXI.

Ascendit ad caelos, & visibilem se prabet glorificato corpore Ecclesiae triumphanti: ascendit & supra omnes Caelos, ut omnia impleret: Consedit ad dexteram

Maje-

Ad secundum.

Vide Apol. Form. conc. pag. 124.

Majestatis, qua illocalis thronus est. Tantum enim ab-
est, ut hic articulus tollat presentiam Corporis Christi in
Cæna, ut potius eundem potentissimè stabiliat; quemad-
modum D. Lutherus copiosè asserit & demonstrat in ma-
jore confessione, Et in firmamento Verborum Cæna, &
D. Hunnius contra Embdenses, pag. 181. Lutherus ejus-
modi statuit presentiam universalem, quâ Humanitas
Christi non est contentum in creaturis, sed continens o-
mnium creaturarum. Sie begreiffet / vnd beschleust /
vnd misset / vnd helt / vnd hat in Händen alle Creatu-
ren.

Tom. 3.
germ. pag.
350.

„
„
„
„

CLXXII.

Sed redibit ad iudicium visibiliter. Ergò jam non
ades?

Ad tertium.

R. Mi homo, cur in cælum ponis os tuum? Redibit
visibilis; quia angeli dicunt. Et Christus ipse: videbitis
Filius Hominis, venientem in nubibus, &c. Sed jam in
usu Cæna presens ades invisibilis suo corpore; quia ipse
dicit. Utrumq; verum.


CLXXIII.

Observentur in tota hac questione verba Lutheri
valdè memorabilia, qua extant in libro firmamen. Verb.
Cæna.

Tom. 3.
pag. 363.

Wir Trawen vnserm Gott / welcher hat wöllen
von Maria Geistlich vnd Leiblich geboren / vnd weder
Leiblich noch Geistlich geessen vnd getruncken werden.
Von den Hirten vud Simeon wolte er Leiblich vnd
Geistlich gesehen / vnd nicht geboren / auch nicht geessen
werden, Aber von vns wil er hie weder geboren / noch

1 3 geles



gesehen/ noch gehöret/ noch angerühret/ sondern allein
 geessen vnd getruncken werden / beyde Leiblich vnd
 Geistlich/ Daß wir durch solch essen ja so viel haben/ vnd
 so ferne kommen sollen / als jene mit geben / sehen/
 hören / tragen / ꝛc. kommen sind / vnd vns ja so nahe
 sey Leiblich/ als er ihnen gewesen ist. Ohn daß ein an-
 der weise mußte seyn / vmb des Willen / daß er in aller
 Welt so nahe seyn köndte; Welches nicht seyn köndte/
 wenn er sichtbarlich erschiene. Dazu hat er vns das
 sehen auch nicht versaget / sondern zugesaget / Allein/
 daß es auffgezogen vnd gesparet wird / biß auff
 den Jüngsten tag: Muß daß der Glaube raum ha-
 be / vnd wir nicht hie selig seyn in dem elenden Leben.
 Was soll er doch mehr thun?

NB.

”
 ”
 ”

CLXXXIV.

*Credimus, ajunt, in Symbolo Communionem San-
 ctorum, quæ omnibus credentibus in Veteri & Novo Te-
 stamento eadem fuit. Ergò sicut illi Christum comede-
 runt spiritualiter, ita & nos.*

Ad quar-
 tum.

CLXXXV.

*Rx. Funiculus hic ex arena: Communio sanctorum,
 quoad beneficia Messia, omnibus eadem est. Habuerunt
 in veteri Testamento eandem fidem, quam nos, eandem
 gratiam DEI, & salutem, attestante Concilio Apostolico,
 Actor. 15. Sed substantiam Novi Testamenti, τὸ σῶμα
 Christi illi nondum habuerunt. Typis fuerunt contenti:
 nos verò habemus communionem Christi, etiam quoad
 carnem, quod Novi Testamenti proprium & speciale est
 Privilegium & axioma.*

Hinc



CLXXXVI.

Hinc ad quintum responsio plana est: Christus Spiritually tantum in nobis habitat & immanet:

Ad quintum.

R. Negamus: Christus enim in nobis est spiritualiter & Corporaliter: neque diuturna erit spiritualis immanatio, nisi corporali participatione iteratò obsignetur & confirmetur. Quare gaudemus spirituali & Corporali participatione, quemadmodum & Patres Orthodoxi: Quae de re supra.

CLXXXVII.

Ad sextum.

Denique de communi & eadem omnium Sacramentorum analogiam multum declamitant, sed ἀτεγ γαφῆς, ex suo Spiritu. Scriptura nullam novit analogiam, quae in omnibus Sacramentis sit eadem. Quemadmodum enim duo Testamenta differunt Materia & forma: Ita & Sacramenta singula suam habent materiam certam & destinatum, certamque formam sive Actionem, quae in singulis Sacramentis peculiari Verbo institutionis, descripta extat. In Veteri Testamento typica erant Sacramenta, in quibus relativa fuit unio signi ad signatum, typi ad antitypon: In Novo habemus antitypa in CHRISTO: Ideò cessat ista ἁέσις, estque vera & realis unio materiae, sive rei terrena & caelestis, juxta verba manifesta: alioqui Sacramenta Veteris Testamenti illustriora fuissent novis; quod ἀτοπον.

Sinamus ergò Tropistas, qui typos typorum, & imagines imaginum semper adinveniunt, ac nunquam figunt animum, ut D. Pelargi verbis hoc i bema concludamus.

QUAE.

QUÆSTIO VIII.

De Patrum Sententijs.

CLXXXVIII.

Vide Refut.
Brem. p. 116.

Operosi sunt Sacramentarij, in adducendis veterum Ecclesie Doctorum sententijs, quas plerasq; omnes in suum trahunt sensum, ut ex bonis Patribus innocentes faciant Tropistas, quemadmodum in Bullingeri, Oecolampadij, Calvini, Beza, Sadeelis, Ursini, & aliorum scriptis videre est.

CLXXXIX.

Sed plerisq; omnibus luculentam faciunt injuriam. Inducere Exempla in contrarium, ex Justino, Cyrillo, Epiphano, Chrysostomo, Oecumenio, Hilario, Augustino, Ambrosio, Theodoro, Leone, & alijs, nimis longum foret, & à nostro instituto alienum: Vide nonnulla in Apologia Formul. Concord. pag. 129. 130. 131. 139. 140. 141. & alibi.

CXC.

Regulas saltem apponemus quasdam, que cuiusvis iudicium informare possunt, in Lectione Patrum hac in re.

CXCI.

Prima. Diligenter circumspiciendum est, contra quos hereticos pugnent Patres: & sic ipsorum intentio cognoscetur rectius, nec facile verba à mente scribentis distorquebuntur.

CXCII.

Secunda. Sape de solis externis Symbolis agunt,

pane

pane & vino, non negando Corporis Christi presentiam, sed explicando officium symbolorum, quod sint signa & ὄπια, & media, per qua corpus & sanguis Christi communicatur.

CXCIII.

Tertia. Non raro utuntur particulis Typi, figura, signi, symboli, sacramentotenus, & similibus, neutiquam sensu Calvinistico; sed vel nude pro externo saltem Symbolo, non etiam de toto sacramento: Vel synecdochice pro toto Sacramento, quod re terrenâ & cœlesti constat. Ponunt partem visibilem, pariter intelligentes invisibile Corpus Christi. Damascenus enim hic typum & figuram prorsus reijcit, lib. 4. Orth. fid. cap. 14. uti & Theophylactus in 26. cap. Matth. & 14. cap. Marci.

CXCIV.

Quarta. Neq; infrequens est, signi & signati usus in scriptis veterum, sed non uniusmodi: Quando signi voce utuntur ὀλικῶς pro tota Eucharistia, tunc signatum est salutaris Cœna fructus: Quando verò μερικῶς, pro re saltem terrena, tunc signatum est Corpus & sanguis Domini non absens, sed verè presens, & externo symbolo distribuitur. Cum Elemento enim visibili, res invisibilis Sacramentaliter est unita. Paulus Coloss. 2. Circumcisionem vocat signum, denotans omnem materiam, qua ad Sacramenti integritatem pertinet.

CXCV.

Quinta. Idem dicimus de terminis, sacramentum, & Res Sacramenti. Modò partibus sacramentum est tota S. Cœna substantia. Res Sacramenti verò salutaris fru-

K

ctus.

Etus. Modò Sacramentum ipsis est solum externum Elementum, res Sacramenti verò Corpus Christi Elemento mysticè unitum. Diligenter itaq; attendendum in lectione scriptorum Ecclesiasticorum, quo sensu istis terminis utantur. Pergunt enim dipnosopbista hic Calvinista esse, & verba veterum fingunt artantq;, ut lubet, ut mendacij hospitium in sua taberna muniant.

CXCVI.

Sexta. Frequenter non tam de substantia Cœne, quàm de salutari fructu loquuntur, urgentes in homilijs paræneticis spiritualem manducationem, sine qua Sacramentalis ad salutem haurit conducit, ut auditores suos ad veram pœnitentiam, fidem, dignamq; manducationem exuscitent.

CXCVII.

Septima. Videas Patres nonnunquam incidenter tantùm loqui, de S. Cœna, & minùs accuratè: tum multa incommodius ponere: quæ ipsis relinquenda sunt. Verba enim ipsorum non sunt norma doctrinae in Mysteriis. Quòd si explicationes ipsorum non sunt scripturae σύνθετοι, repudianda sunt.

CXCVIII.

Octava. Inprimis notandum, quòd Veteres contra oralem manducationem videantur quadam urgere, ne-tiquam autem contra eam, quæ nobis Sacramentalis est, à CHRISTO instituta, verùm contra physicam & Capernaïticam, quam nos non minùs atq; Tropista reijcimus.

CXCIX.

Nona. Discrimen etiam tenendum, inter scripto-

res

res ὀρθόδοξας ἔ κακοδόξας in hoc Articulo fidei. Origenes, Clemens Alexandrinus, Nestorius, ἔ alij, perperam docuerunt de S. Cœna: qui ἔ ab alijs orthodoxis refutati sunt.

CC.

Deniq; optandum foret, nos in Ecclesia ἔ Scholis ab usu istarum vocum ἀγάφωv, Sacramenti, signi, signati, sacramentotenus, Rei Sacramenti immunes esse posse ἔ liberos, quod olim seriò optavit D. Pomeranus, in Enarratione Prophetæ Jona, ἔ alij: Melior enim esset Catholicus usus δείπνv κρυπτανῶv, siquidem Sacramentarij periculose vocum istarum abusu ludunt: sed optamus nunc ἀδωάτωv: postquam usu factæ sunt tritissimæ. Cavebit itaq; quisq; à nefario abusu, ne clarissimis Christi verbis injuriã faciat.

CCI.

Has Regulas κριτικὰς qui studiosè observaverit, hunc reportabit usum. 1. In lectione Patrum inoffenso pede procedet, ἔ bono cum Judicio versabitur. 2. Calvinistarum ἀνὸφθέρματα, ex Patrum sententijs derivata, facili negotio refutabit, ostensâ allegationis Sophisticâ. Rarò enim candidè ἔ integrè dicta veterum citant, aut si integrè, depravant, ἔ ab ipsorum verbis non minus, atq; ipsius Christi recedunt.

CCII.

Exempla hujusce rei vide in Apolog. Form. Concor. cap. 7. In apologia contra Bremenses, pag. 99. ἔ sequentibus quamplurimis, in Refutatione Cacodoxi consensus; Et eruditè hac de re differentem D. Schilterum in Cathecbesi, à pagina 373. usq; ad 385.

K. 2

QUÆ.

QUÆSTIO IX.

De Fractione panis Eucharistici.

CCIII.

DE Panis Eucharistici fractione, solenni & Ceremoniali in ipso Actu Cœna, litem nobis movent novatores Calviniani, eamq; absolutè necessariam esse contendunt, imò internam formam Cœna faciunt, vel partem essentialem, sine qua Cœna ritè celebrari nequeat.

CCIV.

Nullam aliam ob causam, quàm ut fractione panis ceremoniali, quam Christi crucifixionem representare fingunt, spectatores, à cogitatione de vera & reali presentia Corporis Christi avocent, & sic ab ἐργοῖς ad πάρεργα abducant.

CCV.

Eo nomine etiam improbant & abrogant nostras placentulas ἑσογγυλοειδῆς sive orbiculares, quas oblatas, sive Oblata cum veteri Ecclesia nominamus.

CCVI.

Solebant enim antiquitus communicantes ad S. mensam sive aram adferre vel offerre panem, vinum & alia ἐδέσματα. Unde partem panis & vini ad usum Eucharisticum segregabant; reliqua cedebant Ministerio, & pauperibus. Ab ista oblatione piorum hominum, panis S. Cœnae oblatis nomen accepit.

CCVII.

substituunt autem Novatores panem majorem, &

quidem

quidem fermentatum, tùm ut frangere sive scindere eum possint in frustula minora; tùm ut habeant majorem vim nutriendi corpora. Corporis alimentum in sacrosancto Epulo respicientes, contra dictamen D. Apostoli, 1. Cor. 11.

CCVIII.

Et canon Nicenus dicit: non multum sumimus, sed parum, ut agnoscamus, non ad saturitatem, sed ad sanctificationem hac sumi.

CCIX.

Nos retinemus panem, qualis & quantus per multas annorum centurias, etiam ante Papatum in usu fuit. Sunt enim placentula nostra verus panis farinaceus.

CCX.

Nec refert, utrum grandis aliquis panis usurpetur, an parvuli, fermentatus, an ἀζυμος. CHRISTUS in prima Cœna ἀζυμων pro re nata in mensa præ manibus habuit. Erant enim tùm dies azymorum. Retinemus & nos dulcem panem sine fermento: quod commonefactione certâ non caret, si quis in significationibus & analogijs, cum Sacramentarijs occupatus esse velit.

CCXI.

Fractionem necessariam esse, ajunt illi, negamus nos. Est enim id in numero τῶν ἀδιαφόρων: quemadmodum & orthodoxa Ecclesia quovis tempore pro re indifferente habuit.

CCXII.

Distributio necessaria est ἀπλῶς, sine qua κοινωμία (summè necessaria) fieri non posset. Ideò frangere, per distribuere cogimur in scriptura interpretari: Ut Esa. 28.

frange esurienti panem tuum. Ubi non semper opus est, ut integer panis vel cultello vel manu frangatur, erit nihilominus fractio, id est, distributio, si quis plures panes integros inter pauperes elargiatur. Imò frangere Genes. 42. annonam vendere, hoc est, inter plures distribuere significat: Et Jerem. 16. cap. legitur. Et non frangent, hoc est, non dividant, non distribuent panem, uti ἐν τῷ οὐδῷ fieri solet.

CCXIII.

Quare frangere non perpetuò est, aliquod integrum in minutas vel scindere, vel contere particulas, sed etiam non rarò distribuere aliquid inter plures καὶ τῶν κειμήλιων ὕλην. Hoc fit in usa Cœna, in quo panis frangitur, id est, distribuitur inter τοὺς κοινωνοῦσας. Ut autem distributio commodè fieri possit, prius etiam frangitur, vel domi, quando à massa farinacea partes minutæ deciduntur, & pinsuntur, uti in nostris fit placentulis, vel in sacra Mensa, quod fit, si grandior panis conficiatur, & in ipso actu in plures partes dividatur. Perinde enim fuerit. Modò absit superstitio, & nocens novatio.

CCXIV.

Priorem modum in nostris Ecclesiis, ut longè commodiorem retinemus. Populosa enim sunt, & sæpenumero centum, & multò plures personæ unâ horâ communicant; ubi sanè Ministro Verbi molestum esset, præsertim in frigore byemali, grandes panes in s. mensa demum scindere, vel frangere: quod plus temporis, non sine læsione εὐχαριστίας καὶ εὐχαριστωσύνης Ecclesiis commendata, requireret.

Sed do=

CCXV.

Sed dolum dolant, & novationem suam aliquot ratiunculis incrustant Fractionis patroni, ut singulares videantur, & plus sapere, quàm omnes Lutherana Ecclesia.

CCXVI.

Primò obijciunt, Christus suo Exemplo nobis præest, Sequamur ergò.

R. Magnum hoc αἴτημα. Est quidem omnis Christi actio nostra institutio, sed non imitatio. Quàm turpiter non raro in κακοζηλίαις vitium foret incurrendum, si in omnibus Christi actiones, imitando vellemus exprimere.

CCXVII.

Hic non debemus, CHRISTO enim alius panis, quàm communis, & grandior, ad manus tum non fuit: Ideò e re nata fecit, quod frangendo fecit. Et facilis inibi erat fractio, quia non nisi duodecim Apostolis Cœnam porrigebat. Ad hæc: Distribuere tum volebat panem inter Apostolos. Ergò fractione ejus in partes opus erat. Fregit autem usitato more, sine solennitate ceremoniali. Deniq; ἀδελφον adhuc, tam nobis, quàm novatoribus, quo modo Christus panem fregerit? num unum integrum panem fregerit? num potius κλάσματα, fragmenta ex Agni Paschalis manducatione residua fregerit?

CCXVIII.

Quare frustra nos hic ad Exemplum Christi revocant, cum commodiore fractione & distributione panis uti frui possimus, & domi præparare ad usum sacrum, & ita præparatos & congestos plures panes, ad communicantium numerum, à reliquo cumulo segregare & distribuere.

Obijci-

CCXIX.

Obijciunt secundò, Christus mandavit. Ergò.

Rx. Ubi quæso mandavit? Ajunt, in verbis; Hoc facite in mei recordationem. Non ita? Mandatum enim Domini, Hoc facite, ad verba $\omega\epsilon\gamma\sigma\omega\kappa\lambda\iota\mu\acute{\alpha}$ pertinet, Accipite, comedite, bibite, ad cetera, quæ ab Evangelistis, ut $\omega\epsilon\iota\varsigma\acute{\alpha}\varsigma$ $\sigma\epsilon\iota\varsigma$ recensentur $\iota\sigma\omicron\rho\epsilon\iota\kappa\acute{\omega}\varsigma$, non pertinet.

CCXX.

Et quomodo Apostoli poterant hoc facere? quod faciebat Christus? nunquid non erant accipientes, Christus verò distribuens? Christus panem acceptum $\epsilon\upsilon\lambda\omicron\gamma\eta\sigma\alpha\varsigma$ fregit & dedit, Apostoli acceperunt & comederunt. Ita etiamnum, Ministri verbi, qui Christi tenent vicem, panem frangunt, vel frangere alios sinunt domi, ipsi in mensa frangunt, id est, segregant ad sacrum usum, & distribuunt singulis $\kappa\omicron\iota\omega\omega\upsilon\delta\alpha\iota$: Communicantes autem faciunt, quod suum est, accipiunt, edunt, & bibunt ad commemorationem mortis Dominice.

CCXXI.

Tertiò Paulum nobis obijciunt. 1. 1. Cor. 11. Panis, quem frangimus. 2. Jesus accepit, panem fregit, dicens, edite, &c. 3. Comedite, corpus quod pro vobis frangitur. Ergò necessaria est $\delta\epsilon\lambda\omicron\lambda\alpha\sigma\iota\alpha$.

CCXXII.

Est necessaria in sensu Paulino, non Calvinistico. Paulus frangendi verba nihil aliud vult, quàm distributionem. Panis quem frangimus, id est, quem distribuimus inter utentes s. Cœnâ, est communicatio Corpori Christi. 2. Christo, ubi fractionem attribuit, iterum fra

Et pa

Et panis distributionem intelligit: ideo verbum dedit (quo distributio denotatur) planè omisit. Quod Evangelista non faciunt, qui fregit & dedit conjungunt. 3. Comedite Corpus, quod pro vobis frangitur, id est, distribuitur. Hoc S. Lucas docet: qui Paulum secutus, ejus sensum redditurus, τὸ κλώμενον reddidit per τὸ διδόμενον, comedite Corpus, quod pro vobis, id est, vobis bono, vestri causâ in mortem traditur, & in ejus memoriam in S. Cæna inter vos distribuitur, cum pane distributo. Ita in angustum oppidò adversariorum Copie actæ sunt.

CCXXIII.

Et nos concludimus, rationes eorum esse ἀσυστάτους: analogiam fracti panis, & crucifixionis planè nullam. Pani enim dum frangitur, nullus conciliatur dolor: ἀναίδη-
 7 & γδ. manet panis, in singulis portiunculis, ut quiddam ὁμοιομερές, nec ulla pani infertur contumelia, imò bone-
 stius & mollius tractatur, si digitis frangatur civiliter, quàm si dentibus teratur, aut cultro scindatur. Longè secus judicandum de Crucifixione Christi acerba & contumeliosa.

CCXXIV.

Relinquimus ergò novatoribus fractionem panis, das heilige Brodbrechen / ut errorem Calvinisticum, & in Christiana stamus libertate. CHRISTUS δεξικλασίαν non precepit: Apostoli modum ejus nullibi monstrârunt: Lutherus pro re in differente habuit, Et nos sine Calvinistica fractione S. Eucharistiam probè, integrè & sanctè celebramus. Scimus autem, quodnam alant ὑπερλον, volunt animos Cænâ utentium istâ solenni & fictitiâ fra-

L

ctione,

ctione, ad vocare à pia consideratione vera & realis presentia Corporis Christi, ad representationem crucifixionis Christi Sacramentariam, ut modis omnibus nucleum Eucharistiae removeant, & putamina relinquunt.

QUÆSTIO X.

De frequentando S. Cœnæ usu.

CCXXV.

Baptismo semel utimur: quia semel in peccatis nascimur; semel renascimur ad Justiciam per Baptismum. Quia verò à fœdere Baptismi per peccatum sæpè desciscimus, perpetuò pœnitentiâ opus est, perpetuò fidei confirmatione per frequentatum S. Cœnæ usum.

CCXXVI.

Calviniani frequentem Cœnæ usum suscipi deq; habent. Ideò Cœnâ non tam sæpè, quàm benè utendum, Musculus monet: Nos & sæpè & benè utendum monemus. Nec desunt inter ipsos, qui statuere non erubescunt, parum momenti esse in usu Eucharistiae. Nec mirum hoc, cum in Cœnâ nihil amplius dari dicant, quàm in predicatione Evangelij.

CCXXVII.

Vera Christi Ecclesia longè aliter statuit. Cyprianus enim scribit: Mens illa deficit, quam Eucharistia non reficit. Et D. Augustinus Epistolâ 118. ad Januar. & tractatu 26. in Joban. de veteris Ecclesiae consuetudine ita: Alij quotidiana communicant Corpori & Sanguini Christi: alij certis diebus accipiunt. Item: Alibi nullus dies inter-

mittitur,

Loc. comm.
pag. 372.



mittitur, quo non offeratur, alibi Sabbato tantum & Dominico: alibi tantum Dominico; & si quid aliud hujusmodi animadverti potest. Et addit: Totum hoc rerum genus liberas habet observationes.

CCXXVIII.

Liberas intellige, non ratione usus, sed ratione temporis, & frequentati usus. Et si autem nemini prescribimus, quot in anno vicibus ad Mensam Domini debeat accedere, Et Canonem 18. Synodi Agathensis (qua pro Catholicis, id est, veris Christianis non habet, qui in Natali Domini, in Paschate, & Pentecoste non communicassent) in suo precio relinquimus: Statuimus tamen, unumquemque S. Cœnâ frequenter utendi causas habiturum esse sufficientes, si seipsum sæpè probet, si vita acta rationem excutiat, natura depravata quotidianos insultus contra legem Mentis scrutetur, & conscientiam suam accuratè examinet.

CCXXIX.

Moveant quemlibet Christianum & sequentes rationes.

1. Mandatum Christi, Accipite, manducate. Hoc facite, in mei recordationem. Quotiescunque de pane hoc manducaveritis, mortem Domini annunciabitis. Sæpè repetitur hoc mandatum à Paulo & Evangelistis. Unde Cyprianus magnum vocat mandatum.

2. Indigentia nostra. Sæpè enim & multum de novo peccamus: Sæpè fides nostra varijs tentationibus concutitur: Confirmatione ergò per usum Cœnæ opus est. Quemadmodum enim Templum sustinetur à suppositis stylis sive fortalicijis: ita Tu auxiliante Spiritu S. crebro usu S. Cœnæ q. fortalicio fulcire & sustentare debes fidem in templo cordis tui, ut mansionem apud te Benedicta Trinitas faciat.

L 2

3. Agnus

3. Agnus Paschalis, Typus Cæne Dominica repetebatur quotannis, & addebat Dominus gravissimam comminationem contemtoribus: Quanto magis iterandus est usus Cæne, ne ob contemptum gravissimæ pœne à DEO immittantur.

4. Sapè edenda est Confessio: Signum autem Confessionis est frequens usus Cæne.

5. Scandala non sunt danda. Scandalissant autem alios plurimum, qui longo tempore ab usu Cæne abstinent, aut per integrum annum vix semel, aut per biennium ter accedunt. Nec tales, censente D. Luthero in præfatione Catechismi, pro Christianis habendi sunt. Neq; desunt tragica exempla Cæne contemtorum.

6. Si diu emanēs, conscientiam tuam grandi peccato contra primam Legis Tabulam oneras: Si primam spernis tabulam, ne dicas te studiosum secunda.

7. Deniq; attrahere quemq; debebat preciosissimus thesaurus, cuius reddimur κοινωνοί. Frequentato enim usu Cæne arctius cum Christo unimur, etiam corporali κοινωνία & immansione. Absit ergò ἀναβολή.

CCXXX.

Ne obloquaris, ne præendas: Nolo uti Cænâ: quia non intelligo certamina Sacramentaria: Simplex sum, non possum edere confessionem: Sentio me proximo condonare offensas non posse: non habeo elegantes vestes: Scio me per avaritiam, per fas & nefas augere rem familiarem. Hoc prius conficiam, ut opes corradam, postea veniam: ubi sensero vitæ finem adesse, tum utar.

CCXXXI.

Non necesse est, ut simplicitatem fidei graves certa-

minibus

minibus Theologicis: Verba Christi considera, & simplici fide retine: Crede Verbis, uti sonant, sine glossis Tropistarum, & satisfac mandato CHRISTI. Certamina fuerunt semper, & erunt usq; ad consummationem seculi. Tu in simplicitate Catechetica persevera.

CCXXII.

Si Confessionem eruditam prolixis Verbis edere baud potes, ede simplicem, brevem, secundum partes pœnitentia. In causa bona tria verba sufficiunt: Dic: Peccator sum, iram DEI & æternum iudicium commerui. O si nunquam peccassem: Pœnitet, & quidem ex animo pœnitet, confugio ad Misericordiam DEI, eiq; pro remissione peccatorum humilimè supplico: O DEUS propitius esto mihi peccatori: quia Filius tuus, salvator & Dominus meus pro me sanguinem suum fudit, & mortuus est. Hoc credo, & fidei confirmationem in usu Cœnæ quero: vitam adiutore Spiritu sancto in posterum emendabo in melius.

CCXXIII.

Si non vis offensas remittere proximo, abeas, & tuo vivas ingenio. Interim expecta iudicium Domini, quod senties. Veri Christiani obediunt Christi Mandato, & non sunt ἀσυνδοί. Mutet vitam, qui vult accipere vitam, monet Augustinus.

CCXXIV.

Et quid de vestium Elegancia sollicitus es? Ea te dignum non sistet. Cura ut vestem nuptialem adferas, Christum fide apprehensum, ita dignè & lautè epulaberis: neq; deerit ratio honesti vestitus externi, si de ea piè fueris sollicitus.

CCXXXV.

Si animus tibi est in peccato avaritiae perseverandi, & turpem questum cum proximi detrimento & iactura faciendi, rectè abstines. Qui enim voluntatem peccandi habet, perceptione Eucharistiae magis gravatur, quàm pacificatur, inquit Augustinus de dogm. Eccles. cap. 53. citante jure Canonico dist. 2. c. Quotidiè. Interim memineris, & per avaritiae scelus, & per Eucharistiae contemtum te ad gehennam strenuè adificare.

CCXXXVI.

Quid deniq; finem vitae expectas, quo nihil in vita incertius, noli abuti $\alpha\pi\rho\sigma\delta\omicron\chi\eta\tau\omega\varsigma$ DNI, caveas, ne Judicium Domini grave $\alpha\pi\rho\sigma\delta\omicron\chi\eta\tau\omega\varsigma$ te in furore abripiat. Exempla leguntur alibi. Consule & Consilia Bidembachij Decad. 3. Consil. 2. Et Decad. 9. Consil. 3. Ob das Christen seyn / die selten zum heiligen Abendmal kommen.

QUÆSTIO XI.

De Personis ad S. Cœnæ usum non admittendis.

CCXXXVII.

P*Recedens caput jure merito excipit Quæstio, de Personis ad usum Cœnæ admittendis. Pro omnibus quidem hoc salutiferū Epulum à Christo est institutum: Sed quia non omnibus salutariter præberi potest, cautela opus est, & prudenti circumspèctiōne. Si enim $\Delta\epsilon\phi\epsilon\rho\gamma\iota\omega\varsigma$ & promiscuè singuli & omnes (qua Calviniano- rum quorundam sententia fuit Eytelberga, sed ipso Ur sino*

impro-



improbante) admittendi sunt, utiq; bannus & disciplina Ecclesiastica corruet, contra scripturam, & veteris Ecclesie purioris praxin. Disquirendum proinde fuerit, quinam à S. Cœna ad tempus sint arcendi, & suspendendi, & quo fine?

CCXXXVIII.

Admittendi sunt, qui peccata sua seriò agnoscunt, detestantur, & fidem in CHRISTUM profitentur palàm, cum firmo peccata abijciendi proposito & studio, qui, secundùm Paulum seipsum probant, & dijudicant corpus D.

CCXXXIX.

Contrà admittendi non sunt, de quibus constat, (de ignotis enim non judicat Ecclesia) quòd perversam habeant fidem de Sacramento: quòd S. Cœnam pro vulgari cibo habeant, per supinam negligentiam & carnalem oscitantiam, quòd perseverent in detestabili securitate, & non desistant à peccatis contra conscientiam, quòd deniq; per usum Cœnae schema querant, & pallium suorum delictorum, quòd longè alio fine utantur S. Synaxi, quàm à Christo instituta est, per Epicureismum, quod à Maleficis & atheis varijs modis fieri potest.

CCXL.

Arcendi quoq; sunt à nostra Cœna Papista, Calviniani, & omnes heretici, (de quibus certò constat,) si sint insanabiles, & servatis admonitionum gradibus, M. 18. insanabiles & obstinati maneant. Ibi consistoria & summus Magistratus facient officium: Omnes ἀσυνδοί, qui omnes reconciliationis modos aut fugiunt, aut excutiunt, & ἀνίατοι in odijs & simulcatibus contra proximum perseverant: Scortatores, adulteri, homicida, perjuri notorij, nisi prius Ecclesie reconcilientur.

Causa

CCXLI.

Causa rei hujusce sunt gravissima, non ex mundi iudicio, sed ex Verbo DEI, & rei ipsius gravitate, & anime periculo summo pie & prudenter estimanda.

CCXLII.

Prima est severum DEI mandatum. Si peccaverit in te frater, dic Ecclesia, quam si non audit, sit tibi instar publicani & peccatoris, Matth. 18. Publicè argue peccantes, 1. Tim. 5. Hominem hereticum post unam & alteram admonitionem devota, Tit. 3. Si quis ad vos veniens non attulerit hanc doctrinam, ei nec salutem dicite, in altera Jobannis. Relinque munus tuum ad aram, & abi, reconcilieris prius fratri tuo, Matth. 5. nolite sanctum dare canibus, Matth. 7. Non potestis pariter bibere calicem Domini, & calicem demoniorum, scilicet sine dispendio salutis non potestis, sine fidei naufragio, & sine scandalo infirmorum non potestis, 1. Cor. 10.


CCXLIII.

Secunda, D. Pauli exemplum, incestuosum Corinthiacum excommunicantis, quem Satana tradidit, &c. 1. Cor. 5. Eadem severitate utentis adversus Hymæneum & Philetum, 1. Tim. 1. Similia comminantis Corinthijs, 2. Cor. 10. 2. Cor. 13. ut vitemus omnem fratrem ἀτάκτως ambulantes precipientis, 2. Thessal. 3. Et D. Petri; qui Ananiam avarum & mendacem Verbo occidit, Actor. 5.

CCXLIV.

Tertia, Praxis Ecclesie veteris; Ambrosius ipsum Imperatorem Theodosium ab usu S. Synaxis suspendit, Sozomen. lib. 7. cap. 24. Augustinus lib. 5. de C. D. quem

admodum



admodum & Maximum & scribam Stiliconis, qui tragicè
perijt, teste Paulino in vita Ambrosij. Alexander Episco-
pus Alexandria excommunicavit Eusebium Arrianum,
Tripart. lib. 1. cap. 12. Orientales, samosatenum. Chry-
sostomus vehemens est, homil. 83. & 85. in Matth. & in
opere imperf. cap. 25. Ubi non vult admitti crudeles, aut
quovis modo impuros, scilicet notoriè, & ipse sanguinem
suum potiùs fundere paratus est, quàm preciosum Christi
sanguinem dare indigno, si de periculo constet. Legatur
& Tertull. contra Marcion. lib. 5. Ambrosius in Psal. 118.
& lib. 1. de Pœnit. cap. 17. Hieronymus in Ezech. cap. 17.
Augustinus de fide & operibus cap. 26. & Epistola 75. Et
contra Epistolam Parmemonis, cap. 2.

CCXLV.

Quarta est necessitas occurrendi scandalis: ne per ni-
miam indulgentiam confirmetur in improbitate scanda-
losi. Quotus enim quisq; improborum vel à perversa fide,
vel ab odio proximi, vel à libidinum illecebris & inquina-
mentis resiliret, si nullum esset disciplina vinculum in Ec-
clesia, Quae de re egimus pluribus, in disputatione de Pœ-
nitentia.

CCXLVI.

Quinta, ipsum Ministerium concernit, ne videlicet
Ministri Verbi, & Synedria Ecclesiastica alienis peccatis
communicent, 1. Tim. 5. Et ne scientes, indignos in pra-
sentissimum periculum perniciose & exitialis ipsis futura
manducationis ipsi conijciamus.

CCXLVII.

Probè hic notentur D. Lutheri verba, Tom. 3. Jen.
pag. 247. edit. ult.

Der Pfarrer oder Bischoff soll die Leut nicht ehe zulassen/ sie haben denn Antwort geben ihres Glaubens/ vnd sonderlich auff die Frage Bericht gethan/ ob sie verstehen/was das Sacrament sey? Was es gebe vnd nütze? vnd wozu sie es wollen brauchen / nemblich / ob sie die Wort vom Sacrament mit ihrer Auflegung auswendig sagen können / vnd anzeigen / daß sie darumb zum Tisch des H & X & N gehen / daß sie der Sünden halben nach der Gnade hungere vnd dürste/ etc.

Paulò post. Wir wollen mit dieser Ordnung das verhüten/ daß nicht würdige vnd unwürdige zum Tisch des H & X & N lauffen.

Et iterum.: Wir wollen die/ so auff oftgemeldte Stück nicht zu antworten wissen / aller dinge von der Gemeinschaft dieses Sacraments außgeschlossen / vnd abgesondert haben / als die so des Hochzeitlichen Kleides mangeln.

Et seq. S. Darnach soll der Pfarrer oder Bischoff auch darauff achtung geben/ ob sie mit ihrem Leben vnd Sitten solchen ihren Glauben vnd Verstand beweisen/ das ist/so er sihet ein Hurer/ Ehebrecher/ Trunckenbold/ Spiler / Wucherer / Affterreder / oder sonst mit andern öffentlichen Lastern berüchtiget / den soll er allerdinge vom Abendmal außschliessen: Er beweise den mit kündlichem anzeigen / daß er sein Leben geendert vnd gebessert habe/ etc.

Vide & Consiliorum Bidembachij Decadem decimam, Consilio Decimo.

QUÆ-

QUÆSTIO XII.

Contra Missam Pontificiam.

CCXLVIII.

HAtenus contra Cinglio-Calvinistas, pro
 astruenda & defendenda nostra confessione egimus:
 nunc pauca de Pseudocatholicorum erroribus præcipuis
 circa S. S. Eucharistiam subiiciemus, ut Domini Pastores
 hinc sumant occasionem, integram controversiam repeten-
 di. Ac primò de Missa, quæ Ecclesia Romana nervus est,
 & quaestura opulentiæ.

CCXLIX.

Pontificij statuerunt olim, Missam esse sacrificium
 externum, propriè sic dictum, & propitiatorium, cuius
 virtute tollantur & deleantur peccata actualia, quæ quo-
 tidie committuntur, idq; ex opere operato. Originale enim
 in Baptismo prorsus deleri opinantur. Legatur Thomas
 Aquin. lib. de sacram. altaris, cap. 1. Gabriel Biel, lect. 26.
 in Canonem: Scotus Quodlibet, 20. Artic. 2. Urgent isti
 tum opus operantis, hoc est, dignitatem Missarij Sacerdotis,
 tum opus operatum, hoc est, totam Actionem Missalem.

CCCL.

Verùm anno 1530. in Comitij Augustanis, tam
 Theologi Catholici in responsione principum catholicorum,
 ad Articulum de Missa, quàm Authores libri Interimi-
 stici, Anno Christi 1548. protestati sunt de eo, quòd Mis-
 sam sacrificium propitiatorium esse baud doceant; sed tan-
 tum commemorativum, ad recordationem cruenti sacrificij

Christi institutum, & applicatorium, quo Christum impassibili & incruento modo eterno Patri sisti, ajunt, non ut redemptionem & remissionem peccatorum de novo mereamur, sed ut in cruce acquisitam, fide & devotione nobis applicemus, ut Liber Interim loquitur.

CCLI.

Eum in modum & Sidonius Merseburgensis Praesul, & Vicelius, & Clingius, & multi alij Scriptores Catholici Missam propitiatorium vocarunt sacrificium, non pro peccatis, sed quod sit imago quaedam representativa passionis Christi, quae fuit vera immolatio, atq; sic representativum, commemorativum & applicatorium.

CCLII.

Contra passi recidivam posteriores, scapham scapham nominant: quos moderni sequuntur Esavita. Conciliabulum enim Tridentinum sub Paulo III. & Julio III. & tandem sub Pio IV. habitum Sess. 22. cap. 2. anathema dicit omnibus, qui Missam pro Sacrificio verè propitiatorio habere nolunt: & Canonizant ita: Sacrificium Missae non solum pro fidelium vivorum peccatis, panis, satisfactionibus, & alijs necessitatibus: sed & pro defunctis in CHRISTO, nondum ad plenum purgatis, ritè, juxta Apostolicam traditionem, offertur.

CCLIII.

Hinc valdè faciles sunt & liberales, in missis distribuendis: (modò nummi dentur) ita, ut vix ulla res, aut calamitas humana dici queat, pro qua, vel contra quam non habeant missas vendibiles: quod ex libro Pontificali, & Missalibus ipsorum, quae passim in Bibliothecis asservantur, peti potest.

Habent

A. C. 1562.
17. Sept.

CCLIV.

Habent enim missas de sancta cruce, de Lancea Domini, de Angelis, de Sanctis, de Sapientia, pro Antistite, pro Imperatore, pro Principe, pro omni gradu Ecclesie, pro confitentibus, pro iter facientibus, pro novis Sponsis, pro infirmis, pro febricitantibus, pro defunctis, pro pace, pro salute vivorum, pro Sacerdote, pro pluvia, pro serenitate; Et complures alias: fortassis & pro canibus venaticis, ut lepores, & pro felibus, ut mures venentur alacrius.

CCLV.

Hinc ipsis Missarum alia est sicca, alia madida, alia nuptialis, alia funebris, alia privata, alia publica, alia summa, alia infima, alia magna, alia parva, alia templaria, alia viatica, alia medicinalis, alia pacifica, alia hostilis, alia Dominicalis, alia ferialis, alia temporaria, alia perpetua.

CCLVI.

Ita Missarum proventus quotidie toti in eudendis Missis sunt occupati, easque sacrificium propitiabile, & sibi, & omnibus, pro quibus offerunt, predicant.

CCLVII.

Si probationes hujuscerei ab ipsis exigas, Verba institutionis urgent, & in his imprimis, HOC FACITE, quod ipsis est sacrificare. Nec erubescunt nonnulli, probationem ex Marone petere.

Cum faciam vitulam pro frugibus, ipse venito. non animadvertentes, Poëtam verbo, faciam, addere casum sextum, faciam vitulam; Christum verò, Quartum, Facite Hoc, &c. quod pueri intelligunt.

CCLVIII.

In mentem non venit Christo, per verbum, facite, tō sacrificare, precipere: Sed eodem Imperativo, & ad praecedentia respicit, accipite, manducate, & ad consequentia, ad mei recordationem, quod Paulus exposuit, mortem Domini annunciate. Si ergo Christus sacrificus non fuit, quo jure hic erunt Apostoli?

CCLIX.

Facere hoc loco, id significat, Cypriano interprete, quod DOMINUS ipse prior fecit, & quod faciendum mandavit.

CCLX.

Prolixè probare idem conatur Bellarminus, in libro de sacrificio Missa; ex Sacerdotio Melchisedeci, ex victima Agni Paschalis, ex diversis Prophetarum vaticinijs, ex Patrum testimonijs. Sed in omnibus suo more impudentem Sophistam agit, ut à D. Hüttero peculiari tractatu de hac materia contra Bellarminum, copiosè ostensum est.

Ante annos
sedecim.

CCLXI.

Quòd autem Missa sit sacrificium verè propitiatorium pro peccatis, ne unum quidem testimonium S. Scriptura adducit, vel Cardinalis ipse, vel Lojolta ceteri. Rationis commenta sunt, quae probationis loco offerunt, vel testimoniorum scriptura depravationes, vel Patrum orthodoxorum detorsiones.

CCLXII.

Tota actio Eucharistica à latinis quidem patribus Missa, sacrificium, oblatio, immolatio fuit dicta: Sed nunquam sensu pontificio.

Sacri

Sacrificij enim vox ab iisdem usurpatur. 1. Propter commemorationem unius illius sacrificij, quod per Christum à nobis in cruce semel peractum est. Sacrificare ergò ipsis idem est, quod S. Cœnam alijs offerre, quemadmodum videre est in Augustino, lib. 29. contra Faustum, cap. 18. (Christiani peracti sacrificij memoriam celebrant, sacrosanctâ oblatione & participatione Corporis & Sanguinis Domini) & ex Canone 28. Vide & Augustinum in Psal. 64. & contra adversarium legis & Prophetarum, lib. 1. cap. 18.

CCLXIII.

2. Propter oblationem munerum, qua in templo fiebat, ante Actionem Eucharisticam. Afferebant enim & offerebant opulentiores panem, vinum, & alia munera. Inde ἀνηξεργῶντες, hoc est, Diaconi sumebant, quantum sufficeret ad usum S. Cœna, residuum cedebat Ministerio & egenis. Hoc ipsis erat offerre & sacrificare in Cœna. Erat enim pium sacrificiū gratitudinis & charitatis, quam actionem D. Apostolus ἀνακονία τῆς ἀνηξεργίας, 2. Cor. 9. & odorem suavitatis Hostiam acceptam, Deoq; placentem Philip. 4. nominat. Hinc Augustin. Epistol. 122. mulieres, ait, offerunt Sacrificium ad altare Domini, ut per sacerdotem Deo offerantur. solebant enim Diaconi nomina eorum, qui donaria offerebant, in publicis precibus nominare, & Deo commendare cum oblationibus, quemadmodum Hieronymus testatur in Ezechielem.

CCLXIV.

Observandum quoq; est, Patres S. Cœnam quandoq; vocare oblationem incruentam, ἀνδάματον, non intuitu

Sacri-

Sacrificij Christi cruentis, in cruce semel peracti, sed respectu sacrificiorum Leviticorum veteris Testamenti, quae cruenta erant, sanguine effuso: perinde ut Apostolus Christianos hortatur, ut praestent DEO λογικὴν λατρείαν, respectu ἀλόγων pecudum veteris Testamenti.

CCLXV.

Huc pertinent & sequentia: Offerimus DEO, non quasi indigenti, sed gratias agentes donationi ejus, & sanctificantes creaturas. Irenaeus lib. 4. cap. 32. Corpus nostrum dum castigamus, sacrificium est, Augustinus. sacrificamus pro salute Imperatoris purâ prece, Tertullian. ad Scapul.

CCLXVI.

Quia ergo circa actionem Eucharisticam, offerebantur munera, fiebant preces, gratiarum actiones, factum est inde, ut ipsa S. Cœna à veteribus diceretur sacrificium, hostia, oblatio: quemadmodum & Scriptura sacrificium laudis nominat, Psal. 50. Nullus ex Orthodoxis Patribus, tam graecis quam Latinis, S. Cœnam dixerunt sacrificium externum propriè dictum, nullus propitiatorium, nullus impetratorium.

CCLXVII.

Quod si ἀκυρολογία quandoq; in Patribus occurrit, si (posito, minime tamen concessio) more pontificio de Cœna Domini scripserunt, quid ad nos? qui voce PATRIS non Patres, sed Filium audire jubemur, quemadmodum Beatus Martyr Cyprianus ad Cocilium de sacramento Calicis scripsit. Addo D. Herbrandi regulam: In Patrum testimonijs & lectione veterum scriptorum Ecclesiasticos

tum

rum considerandum est cum maturo iudicio, quae fuerit perpetua ipsorum sententia, & quid obiter, quid improprie, quid consultò, quid explicatè, quid ex vulgi more, & temporum consuetudine aut argumento inservientes dixerint. Sit in his norma scriptura Prophetica & Apostolica, & scripta Symbolica ab Ecclesia vera approbata.

CCLXVIII.

Legatur Lutherus in lib. de capt. Babylonica. In libro contra Henricum Anglia Regem: In libro de abroganda Missa: Item de missa privata, Vide & disputationem satanae cum Luthero de missa privata, Tom. 6. Jen. pag. 82. 83. 84. Et Tomo 5. pag. 16. 113. 122. In Epistola ad Electorem, Daß man die etne Gestalt / Winkelmeß vnd Canon nicht könne annehmen. Bedencken etlicher Gelehrten zu Wittenberg / von der privat Weß. Tom. 2. Von mißbrauch der Weß / legatur integer liber, Tom. 2. pag. 7. & seq.

CCLXIX.

Observentur & sequentes rationes.

1. Quae definitione differunt, re ipsa differunt: Sed sacrificium & sacramentum definitione differunt. Ergò. In sacrificijs homo DEO aliquid offert, ut docet Leviticus: In novo Testamento unum fuit & est ἱλαστικὸν Christus; qui seipsum obtulit DEO Patri in odorem suavitatis. Christiani veri quotidie offerunt DEO & sacrificant preces, gratiarum actiones, laudem, gloriam, & in obedientia semetipsos.

CCLXX.

2. In sacra Cæna non iussit Christus suum corpus sa-

N

crisi.

crificare: Sed ipse hoc Testamento ordinat suum Corpus cum pane manducandum, quod in ara crucis patri aeterno semel obtulit.

CCLXXI.

3. Evangelistæ in descriptione S. Cœna ne verbo meminerunt, Christum Patri suo Corpus obtulisse: Id enim postero parasceves die semel factum est in cruce. Quod si Christus in ipso Sacramento nihil sacrificavit; qui ergo nobis erit sacrificium?

CCLXXII.

4. Neque Salvator usquam mandavit Apostolis, Ite in orbem, & sacrificate meum Corpus, sed ite, predicatæ Evangelium. Hoc fecerunt Apostoli: In Cœna nunquam sacrificarunt more papistico: sed Orationem Dominicam recitarunt cum repetitione verborum Institutionis, referente Platina in vita Sixti I. & ipso Gregorio Magno, qui ritum Apostolicum commendat. Ridiculi igitur sunt Romanenses, dum magnis verborum ampullis clamitant, Missam, qualem ipsi celebrant, ab Apostolorum temporibus SIC SEMPER durasse & usurpatam fuisse.

CCLXXIII.

5. Plena denique abominationum est Missa, Missæque Canon, tanquam lacina à multis Pontificijs & scholastico quodam consuta. 1. Mutat enim verba Testamenti Christi, eaq; horribilem in modum violat. 2. Pugnat adversa fronte, & cum sacrificio Christi propitiatorio, & cum ejusdem Sacerdotij aeterni veritate. 3. Nihil in se habet de natura verorum sacrificiorum. 4. Pugnat cum multis fidei articulis, &c. Ad Orcum ergo relegatam

esse

esse finimus Missam Papalem: & concludimus Verbis Re-
verend. Patris Lutheri: Die Opffermeh ist ein gemein
Werck aller Teuffel/ da sie alle Hende/ allen Raht/ alle
Bedancken/ alle Bosheit/ alle Schalckheit zusammen
geschlagen/ vnd diesen Grewel gestiftet vnd erhalten ha-
ben: In der Warnung an seine lieben Deutschen/ Tom.
V. pag. 285.

QUÆSTIO XIII.

Contra Transsubstantiationem.

CCLXXIV.

IN Missæ sacrificio transsubstantiationem
fieri porro nugantur Romanista, novo figmento novum
imponentes nomen. Autor ejus primus fuit Thomas de
Aquino, qui speciosis id fucavit rationibus. Unde D. Lu-
therus dogma Thomisticum appellavit.

CCLXXV.

Est autem istis Transsubstantiatio, quòd post factam
consecrationem, panis & vini natura & essentia in corpo-
ris & sanguinis Christi substantiam convertatur; & sic
corpus & sanguis Christi sub externis speciebus vel acci-
dentibus panis & vini sola permaneat, sine substantia panis
& vini. Omnibus, qui hoc non credunt, Trident. Conci-
lium anathema dicit. Sess. 3. cap. 4. Can. 2. Anno 1551.

CCLXXVI.

Cadmeam hic videas pugnam inter fraterculos Ca-
tholicos. Tot enim ferè legas sententias, quod capita

N 2

sive au-

sive autores de hoc commento scripserunt. Hic enim definit hoc, ille alio, tertius iterum alio modo, ipso Roberto Cardinale teste, lib. 3. de Sacram. Eucharist. cap. 11. & Lombardo lib. 4. distinct. 11. & 12. Quin & jus Pontificium oppositas recitat sententias. Lombardus ingenuè fatetur, se modum definire non posse, sed Trident. Concilium pro sua modesta pietate negantes, totam substantiam panis converti in Corpus Christi, anathematis fulmine ferit.

CCLXXVII.

Stella Clericorum Missarios Creatoris Creatores appellat, eorum nomine eosdem D. Maria preferunt.

CCLXXVIII.

sed unde probant isti novum commentum?

R. si omnes perlegas, duobus videbis incedere cruribus, aut claudicare potius utroque. Pretendunt & Verba Christi: & Ordinationem Ecclesie. Ita enim Costerus in Enchirid. de s. Eucharistia. Christus dum porrigens hoc Sacramentum diceret, Hoc est Corpus meum, aperte indicavit, quicquid porrigeret, & totam illam substantiam, quam manibus teneret, esse Corpus suum, nec aliam adesse substantiam præter Corpus suum: alioquin dicere debuisset: Hic est Corpus meum. Glossam hanc comprobant omnes.

CCLXXIX.

Verè glossa est Romana, non Verborum Christi sensus. Christus enim panem verum & naturalem manibus tenens, de eo aperte pronunciavit, Hoc est Corpus meum, non Papisticam conversionem, sed sacramentalem unionem utriusque substantie indicans.

Apesto=

Pag. 369.

CCLXX.

Apostoli etiam verum panem acceperunt, gustarunt, manducarunt: In primis Paulus panem quinquies nominat in ipsa actione, & post consecrationem. Verba etiam in articulis fidei, sicut sonant, accipienda sunt. Ergo somnium humanum est conversio Romanensium.

CCLXXI.

Exemplum de Persona Christi à Costero adductum Eutychianismum sapit. Rectè autem accommodatum maxime pro nobis facit. Quando enim Pater de Cælo clamat, Hic est Filius meus dilectus, utramque naturam in Christo intelligit, quæ unitæ unam constituunt hypostasin (nisi cum Eutychete humanam in divinam planè esse conversam & deificatam delirare velit Costerus) Et ostenso Homine Christo in Jordane verè ostendit Filium DEI, quia Filius DEI & Filius Mariae sunt una Persona à diavolo. Ita ostenso pane Eucharistico ostenditur & manducatur Corpus Christi, quia inter panem & Corpus Christi est unio inseparabilis. Quemadmodum D. Lutherus exemplum hoc ad negocium S. Eucharistiae rectè accommodavit in Confessione Majori:

Ich zeige auff den Menschen Christum / vnd spreche / das ist Gottes Sohn / oder dieser Mensch ist Gottes Sohn. Hier ist nicht von nöthen / daß die Menschheit vergehe / oder werde zu nicht / damit das Wörtlein (das) auff Gott deute / vnd nicht auff den Menschen / wie die Papisten im Sacrament vom Wort tichten: Sondern die Menschheit muß bleiben: Also / da im Sacrament stehet / Jesus nam das Brod / vnd dancket / brach / gabs

N 3

ihnen

Tom. 3.
pag. 486.

ihnen vnd sprach: Nehmet hin vnd esset / das ist mein Leib / ist nicht von nöthen / daß das Brod vntergehe / vnd zu nicht werde / sondern beyde / Brod vnd Leib bleiben / vnd vmb der Sacramentlichen Einigkeit willen / wird recht gesaget / das ist mein Leib / mit dem Wörtlein (das) auff das Brod zu deuten. Denn es ist nicht mehr schlecht Brod im Backoffen / sondern Leibsbrod / das ist / ein Brod / das mit dem Leibe Christi ein Sacramentlich Wesen / vnd ein ding worden ist.

*Ex Verbis proinde DOMINI, in nativa significatio-
ne relictis, non conuersio panis in corporis Christi substan-
tiam, sed utriusq; substantia terrena & caelestis sacramen-
talis unio, sequitur citra omnem substantia metam.*

CCLXXXII.

Anno 1562.

*Altera Papistarum n̄sis est consensus vel Dogma
Ecclesie Catholicae, Tu intellige, Romanae. Ita enim scri-
bit Dominus Pflugius, in der genandten Christlichen Er-
mahnung an des Naumburgischen Stiffts Vntertha-
nen vnd Verwandten. Capite, vom Sacrament des
Leibs vnd Bluts Christi. Weil des HERRN / das ist / der
ewigen Weißheit Wort / niemanden betreuget / vnd an
ihm selbst allmechtig ist / so wil je niemande gebühren zu
zweifeln / so bald / als die Wort / das ist mein Leib / das ist
mein Blut / zum Brod vnd Wein kommen / daß darauß
der wahre Leib / vnd das wahre Blut Christi werde / al-
so / daß die Substantz des Brods vnd Weins in den wah-
ren Leib / vnd das Blut Christi verwandelt werde. In-
massen solches der Buchstabe / oder Wort klar mit sich
bringet / vnd es in dogmate Ecclesie Catholicae stehet.*

Ita Ho-

Ita Hofius in Confessione sua. In Abendmahl wird eine Verenderung der Element / oder der Substantz / des Brods und Weins / in den Leib und Blut unsers H & X & I Jesu Christi: Wie solches im grossen Concilio Lateranensi beschlossen und definiret worden.

Cap. 39.

Probatio
Hosiana.
Anno 1215.
sub Innocentio III.

CCLXXXIII.

Hosium ἀνόσιον prorsus reijcimus, quia solâ humanâ autoritate nititur. Dominus Pflugius dogmati Ecclesie Catholica preponit verba Christi, eorundemq; omnipotentiam. Sed verborum alium esse sensum, modò ostensum. Omnipotentiam Christi præcendere sine ejus voluntate expressa, nihil est. Fides enim nulla, ubi verbum nullum. Verbum autem dicit Panem & Corpus simul dari: Hoc credimus. Huic verbo substernimus omnipotentiam Dicentis contra Calvinianos, & captivamus intellectum sub obedientiam fidei.

CCLXXXIV.

Sed & Patres in mala causa subsidium citant, eorumq; testimonijs conversionem Numa vel Nocentij Romani stabilire satagunt.

Rx. Verum sanè est, in Patribus μετὰβολήν, μετὰσειχείωσιν, μετὰποίησιν, mutationem, conversionem non rarò occurrere. Sed si contextum diligenter aspicias, deprehendes sine negotio, sententias istiusmodi omnes (modò Patres orthodoxi sint, & Esavitarum depravationes non sint passi) loqui non de abolitione vel annihilatione substantia panis, sed de mutatione sacramentali, qua fit consecratione, & est

divina

vina sanctificatio & separatio, à communi pane & vino. Lutherus paulò antè nominavit ein Leib Brod / das mit dem Leibe Christi ein Sacramentlich wesen worden ist. Sed Esauite verum sensum in scriptis Patrum depravant, ex ijs, quæ sano modo ponuntur, Catachreses faciunt & ἀκυρολογίας, inprimis in recentiorum scriptis, quales sunt Damascenus & Theophylactus.

CCLXXV.

Longè aliter sentiunt Patres. Ita enim Theodoretus dialogo 1. Christus visibilia symbola corporis & sanguinis sui appellatione honoravit, non mutans naturam, sed gratiam naturæ adiiciens. Et dialogo 2. Symbola mystica post sanctificationem nequaquam propriam naturam amittunt, manent enim in priore εἰσα, figura & specie, & cerni & tangi possunt, ut prius. Et Gelasius Episcopus Romanus in lib. de duabus naturis in Christo: Non desinit esse substantia vel natura panis & vini. Legatur & Cyprianus in Serm. de Cæna Domini. Ambrosius lib. 4. de Sacram. cap. 4. Chrysost. ad Casarium Monachum, Augustin. Serm. 18. de Verbis Domini.

Velim hîc & istud probè notari, Theodoretum dialogo 2. Exaltationem Christi ad dextram DEI nominare μεταποίησιν carnis: ubi non intelligit conversionem carnis in Deitatem, sed translationem ad feliciorum statum, Majestatis scilicet & glorie divine. Eodem pacto nonnulli Patres pani Eucharistico attribunt μεταποίησιν, quia à communi usu segregatus est ad longè diviniorum. Sed Romanistæ ejusmodi formulas omnes criminibus trabunt ad suam μεταποίησιν sive transelementationem.

ὅλως

CCLXXXVI.

Ὅλως εἰπεῖν, *Papistarum hoc dogma* 1. neq³ quoad nomen S. Scriptura notum est, 2. neq³ quoad rem ipsam, 3. Christus & Paulus panem nominant in ipso usu, 4. panis cernitur, tangitur, gustatur: Argumentum enim à sensibus, si circa objecta sua non fallantur, valet affirmative. 5. Ipsi Papiste scribunt, murem arrodere posse panem consecratum: Ergò substantia panis roditur, absit hoc dicere de S. S. Corpore Christi 6. Perpetuas istud dogma parit ἀνυπόστασις, ex quibus nec ipsi Catholici sese expedire possunt, 7. Transsubstantiatio mater est plurimorum deliriorum Monachalium, 8. Fons est, ex quo horribiles Cœnae Dominicæ profanationes manant: inter quas principem locum tenet δεικλατεία, cujus pedissequa sunt, Elevatio, in ciborium sive capsulam repositio, pomposa & theatra circumgestatio, quâ usus S. Cœnae verus in alienum prorsus mutatur: quibus abusibus ante 400. annos ab Innocentio III. postea Anno Christi 1415. à Concilio Constantiensi, deniq³ à Tridentino stabilitis, peculiare festum Corporis Christi Urbanus IV. circa annum Christi 1260. dicavit, confirmatum Clementis V. autoritate in Concilio Viennensi, Anno Christi 1311. & fit ejus mentio in Clementinis lib. 3. tit. 16. de reliquijs & veneratione sanctorum.

CCLXXXVII.

Horribilis est eaidololatria: 1. Non enim Christum verè presentem adorant, sed panem consecratum vel in Missa elevatum, vel publicè in circumgestatione histrionica ostensum, 2. adorant Christi Corpus, extra usum

0

Cbri.

Matth. 15.

CHRISTO institutum, ubi prater nudum panem, vel elevatum, vel circumgestatum, vel inclusum, nihil amplius presens est. 3. Christum externis tantum gestibus colunt, partim ridiculis, partim superstitiosis, genua flectendo, corpus prosterendo, manus expandendo, pectora percutiendo, terram deosculando, & alijs gesticulationibus utendo, sine motu & cultu fidei interno, juxta verbum Christi, Hic Populus labijs me honorat.

CCLXXXVIII.

Nos Eucharistia Sacramentum motu & cultu veneramus spirituali, dum CHRISTO verâ fide laudem Veritatis in verbis Cœnæ tribuimus, & applicamus nobis beneficia Mortis Christi, religiosâ adoratione non ad Christum & panem simul, sed ad solum Christum *Ἰσχυροῦ* in Actione Cœnæ verè & realiter presentem directâ, juxta Mandatum Christi, Hoc facite in mei commemorationem. Veneramus Sacramentum, dum in vero usu à Christo instituto, sumimus cum pane Corpus Christi, & cum vino Sanguinem ejus, & recordamur mortis Christi, quod in suis liturgijs faciunt veteres orthodoxi, ut videre est in Justino, Basilio, Chryostomo, Dionysio, & alijs.

CCLXXXIX.

Pag. 635.

Concludimus verbis Megalandri nostri in 47. cap. Genes. Bonum est, quòd Sacramentum Altaris colitur inflexis genibus, quia ibi presens est verum Corpus & Sanguis Domini, item Spiritus sanctus, & promissio seu verbum Divinum, quod est reverenter audiendum, quia Deus ibi operatur, &c. Et paullo post. Justum est, ut si non

corpo.

corpore, at toto corde inclinemus, & revereamur Deum loquentem nobiscum.

QUÆSTIO XIV.

Contra Unam Speciem,

CCXC.

DEniq; Sacrilegium longè maximum committunt Papista, dum Laicis in univèrsum omnibus, uti & Sacerdotibus non celebrantibus aut conficientibus usum sacri Calicis denegant.

Nata est *κυλικοκλεψία* in Concilio Constantiensi, Anno Christi 1415. Sess. 13. nutrita à Gersone Parisiensis Academia Cancellario, educata à Concilio Basiliensi, Anno Christi 1431. Sess. 30. confirmata à Concil. Trident. Anno Christi 1562. Sess. quinta Can. 1.

Tom. 2.
Concil.
pag. 1069.
Tom. 3.
Concil.
pag. 93.

CCXCI.

Statuunt enim Pontificij, non esse ad salutem necessarium, nec divino jure præceptum, ut singuli Christiani sub utraq; specie ipsum venerabile Sacramentum accipiant: Perinde enim esse, si quis sub una, aut utraq; specie communicet, cum non minùs sub una accipiatur, quàm sub utraq;: Ideoq; sanctam Matrem Ecclesiam non errare, si Laicos, & Clericos non conficientes sub una specie tantùm communicet.

CCXCII.

Sed mater ista supra modum est injusta noverca, quæ filios suos per audacissimum facinus privat

O 2

tàm præ

tam præstanti bono, Christi nimirum sanguine, qui nullis mundi thesauris æstimari potest, & non tantum pro miserarijs, sed pro omnibus quoq; Laicis effusus est in remissionem peccatorum.

CCXCIII.

Christo Agrippinæ contradicunt Pape, Concilia, Conciliorumq; conducticij Patroni miseri & ridiculi, quorum si ad amussim verbi revoces ratiunculas, non consistent, neq; unquam autorum suorum conscientias relevabunt.

CCXCIV.


Etenim. 1. Testamentaria Christi dispositio non unam saltem, sed utramq; speciem complectitur, de qua nulli creature licet dispensare, cum Testamentum hominis morte confirmatum, nemini vel addendo vel detrahendo infirmare liceat.

2. Mandatum Christi universale, æternum & immotum est, Bibite ex eo omnes, scilicet, quotquot panem benedictum sumpsistis, etiam ex Calice bibite. Eo enim omnia Ecclesie membra pariter citra distinctionem Ordinum vite ad usum calicis adstringuntur: nisi quis per blasphemiam dicere velit, Christum inofficiosum condidisse testamentum.

3. Exemplum Apostolorum in prima Cœna totum Ecclesie corpus representavit: Hi verò omnes, Marco teste, ex calice biberunt, Ergò, &c.

4. D. Paulus utramq; partem quater præcipit, 1. Corinth. 11. cui Ecclesia Corinthiaca morem gerens usum calicis communem habuit. Id verò Paulus non ab homi-

nibus,



nibus, sed immediatè à Christo habuit, & non panem, sed calicem benedictum nominat κοινωvία του αἵμα] &.

5. Lucas cum Paulo absolutâ descriptione prioris partis ponunt particulam ὡσαύτως, eo ipso expressè docentes, Christum non minùs calicis usum ordinasse & præcepisse, atq; panis benedicti.

6. Addimus perpetuum totius Ecclesie Christi consensum, quæ calicem multis seculis, non minùs Laicis, quàm missarijs Sacerdotibus concessit sine contradictione, quod & nos facimus, & Orientales Ecclesia faciunt, quæ Romani Numæ imperium perpetuò detrectârunt.

CCXCV.

Certum etiam est, ante Concilium Obstantiense in Latinis Ecclesiis nullum unquam Edictum publicum extitisse de Calice abrogando. Constat ex decreto Gratiani, & ex lib. 4. Sentent. Petri Longobardi dist. 11. Anno Christi, 1190. tempore Fridrici Barbaroffæ Imperatoris usum Calicis retentum fuisse, & comprobatum insignibus sententijs Patrum, Tertulliani in lib. de Cor. milit. Cypriani, Ambrosij, Hilarij, Augustini, Hieronymi, Chrysostomi, Item Gelasij in Canone de consecratione, Vide de consecr. dist. 2. Can. Si non, Et Canone, Comperimus, ubi ποτὴν ἐροκλεψία non sine zelo sacrilegium vocatur.

CCXCVI.

Grave ergò iudicium hoc ipso sacrilegio sibi attrahunt Pontificij μισογέφοι, qui ex Sacramento Christi q. à Διάφορον facientes, quod sibi videtur statuunt: cum tamen nulli hominum, neq; Angelis in cœlo vel minimum hic dispensare aut immutare liceat.

CCXCVII.

Sed cur in hodiernum usq; diem non cedunt veritati

πὸν ἡμεροκλήπια?

Vide Luth.
Tom. 3.
germ. pag.
530. 531.

R. 1. Urgent vehementer concomitantiam sive connexionem Corporis & Sanguinis Christi naturalem, quâ corpus vivens non possit esse sine sanguine. Sed naturam anteponunt CHRISTO: Is non dicit de pane, Hoc est corpus & sanguis meus, sed tantummodò, Hoc est Corpus meum. Obstat & Papistica Transsubstantiatio.

2. Ambitio ipsos retrahit, nolunt videri errasse.

3. Nolunt admittere ἰσοτιαν καὶ τὴν ἀξίαν inter Sacerdotes & Laicos: illos solos calice dignos habent.

4. Si calicis usum ἀδελφοφιλῶς admitterent, periclitaretur questus quotidianus, quem ex Missis faciunt, si enim simpliciores scirent, aut crederent fraudem, omninò conciderent nundinationes Missarum, & frigerent culinae Sacerdotum & Monachorum: frigeret Papa questura, qui non paucis sacri calicis usum magno ære vendidit.

CCXCVIII.

Quæ in re strenuum Satanae ministrum, & Antichristum magnum sese declaravit. Unde concludimus, Papatum non esse Sponsam Christi, sed Synagogam Satanae, & Meretricem Babylonicam: qua supra Christum sibi Magisterium sumit.

CCXCIX.

Eugiendus itaq; est Papatus; adeò, ut si Papa alicui integrum usum Cœna concederet, respuenda sit concessio ista, & potius penitus abstinendum: Non enim integrum Sacramentum sumimus per Papæ dispensationem, sed per

Christi


Christi institutionem & Mandatum: Et qui in Missa communicat speciem utramque, is omnes abominaciones Missae ipso facto approbat.

CCC.

Concludimus verbis Reverend. Patris Lutheri, im Bericht von beyder gestalt des Sacraments auff's Bischoffs zu Weissen Mandat / Tom. 3. germ. pag. 529. Anfang / Mittel vnd Ende aller Irrthumb ist / daß man aus den einfältigen Worten Gottes tritt / vnd wil mit der Vernunft in Göttlichen Wundern handeln / vnd die Sache bessern / etc.

Nos pro cœlesti Veritate CHRISTO gratias agimus, extrema tam Calvinianorum quam Pseudocatholicorum dogmata toto corde adversamur, Verbo Domini fide simplici adbaremus, Et ut in agnita veritate inter tot Satanae & mundi perversi furores, nos perpetuò conservet constantes, ardentibus votis rogamus.

F I N I S.



[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page]

[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page]

[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page]

Coll. Miss H. 190, 43